GEORGII Fabricii Chemnicensis, viri clarissimi,

POEMATVM SACRORVM Libri XXV.

Ex postrema autoris recognitione.

Quorum Catalogum uersa Pagina reperies.

S Joh. Heidfeldii.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum. 1567.

CATALOGVS POEMATVM

TOMI PRIMI.

Odarum libri	III.
Hymnorum	V.
Poeanum	III.
Heroicõn	I.
Carminum	II.

TOMI SECVNDI.

Militiæ Sacræ	II.
Victoriarum cœlestium	III.
Amorum filij Dei	I.
Pietatis puerilis	III.
Precationum	I.
Tristium	I.

ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINO, D. Augusto, duci Saxoniæ Electori, Landgranio Turingiæ, Marchioni Misenæ, Burggranio Magdeburgi, S. D.

GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS.

POetæ olim & gladiatores, cùm artem suam uel immunes legib. uel annis confecti desinerent, arma sua musica aut militaria templorum postibus, aut parietibus domorum affigere solebant. Idem reges & imperatores, aliqua optata exhilarati uictoria, faciebant, ut detracta hostib. spolia, uel Feretrio Capitolino suis humeris apportaret: uel in ædib. quas suo quisq; Statori, Custodi, Propugnatori, Seruatori uouerat, cõsecrarent. Vetustatis exempla, cœlestib. tribuentis omnia, displicere nemini possunt: cùm animus gratus Deo sit acceptus, & probetur communi ho-

minum ſententia. Equidem ipſe in uita humili, & functione parua, cùm gladium nequeam, ut tiro Dauid gigantis Palæſtini, aut baltheum dicare, ut Apollonij Syri Iudas Machabæus: uolui meæ iuuẽtutis exercitationes Deo omnipotenti deditas dicatasq; eſſe, à cuius bonitate & copia, facultatem animi atq; ingenij omnem manare certum eſt: & quod datum cœlitùs conceſſumq; eſt, ad ipſum auctorem ſapientiæ & largitatis, meritò refertur. Relinquamus alijs, ut cantillent ebrij, ut ſaltent ſimias, ut ludant, conuicientur, rideant: parum iſta ad uirum modeſtum, planè nihil ad hominem Chriſtianum: quos autem ſtudij ſui in adoleſcentia leuioris pœnituit, numero bonorum rectè adijciuntur. Sed dolemus non iniuria, in clariſsima luce doctrinæ & ueritatis eſſe adhuc, qui contemnant & reprehendant, cùm pulchritudinem & elegantiam ſtudiorum, tum præſertim eam partem quæ ad laudem diuinã ſpectat, idq; in nullo magis, quàm in hoc ſcripti genere concinno & ſonoro, quod ad adoleſcentes

scentes tantùm pertinere dicũt: in uiris ineptiarum, in senibus dementiæ indicium esse clamant. Traducuntur M. Antonius Flaminius, & Georgius Buchananus, politissimis ingenijs uiri præditi, quòd Ecclesiæ Christi canere, quàm delubris Mineruæ aut Apollinis maluerunt: sed illorum gloria æterna apud Deum futura est, & immortalis: horum & fama & uita interibit. Exoptauimus nos quoq; eruditis probari: sed ijs, qui sunt nominis diuini quàm sui appetentiores: cùm nihil sit ad laudem sincerum, ad gloriam durabile, quod honori & magnificentię Dei unius non seruiat. Habet uerò hoc in primis ars Musica, ut tenerrima sit, & ad flectendos ac quasi subigendos animos plurimam uim afferat, & ætatem etiam nõdum corroboratam demulceat. Itaq; cùm artifices pudici, sobrij, Dei amantes non sunt: ista ars ingenia corrumpit, mores deprauat, tota inficit templa, urbes magnas euertit, tam tacita dulcedine, ut damnum prius non sentiatur, quàm corruptela & labes disciplinæ atque honestatis,

quasi effusa pestis, subitò appareat.

Quamobrem ne quid damni rei literariæ aut Christianæ à me daretur, in his Poematibus castam & liberalem Musicam adhibui. Ipsa quidem edita hactenus pleraque sunt, sed non uno tempore: nunc tandem in unum uolumen congesta. Hoc cùm amicorũ hortatu emittere decreuerim, ea quæ ipsis displicuerunt, meliora feci: quæ sunt uisa mutanda, emendaui: quæ fuerunt profana, tanquam filices & urticas ex agro culto eradicare solemus, sustuli: ut soli Deo excelso, & eius unico filio, Regi Redemptoriqúe nostro, & Deo Spiritui sempiterno, sua relinqueretur altitudo, maiestas, celebritas. Absit enim (placet mihi grauissima diui Hieronymi uoce loqui) absit inquam, ut de ore Christiano sonet, Iuppiter omnipotens: ut audiatur me Hercule, ut me Castor: ut cætera, portenta magis, quàm numina. Displicet seni iam Augustino, quòd Musas adolescens, quasi deas aliquas, uel iocando commemorauerit. Quid enim (ait Tertullianus) Athenis & Hierosolymis? quid Academiæ

miæ & Eccleſiæ? Quæ concordia (inquit Paulus) Chriſto cum Beliale? qui conſenſus templo Dei, cum ſimulacrorũ delubris? Quis pius animo æquo aſpicere olim potuit in uno monte tẽplum Dei, & ſacellũ Veneris Syriacę, regnum Iudæorum tenente Solomone? Quis bonus abſq; indignatione nunc audire poteſt, in eo loco, in quo Virgo dominum cœli terrarumq; pepe rit, extructũ ab Hadriano Imp. fanum Adonidis? & in quo poſtea pro genere humano uictima ipſe Chriſtus immolatus eſt, ab eodem poſitam Ioui Olympio ſtatuam? Cœleſtia ab humanis, à profanis ſacra diſcernenda ſunt: non aliter, ac remouenda ſunt à ſcholis Odea, theatra ab Eccleſijs. Conatus idem ſum in his Poematibus facere, ut prophana reijcerem omnia. Sed rudem in hoc exercendi genere nunc depoſituro, in mentem mihi uenit, nõ poſſe id fieri, neq; fieri debere, Dux Auguſte, Elector ampliſsime, ſine tuæ auctoritatis uoluntate. Quamobrem hos libellos, olim patronis aut amicis ſingulis traditos, nunc uniuerſos tutelæ

potentiſsimæ committo: & ad pedes tuos, more gladiatoris defatigati, quinquagenarius depono: ea ſpe & fiducia, Celſitudinem tuam fore pietatis & ſtudiorum perpetuum patronum, ac mei etiam defenſorem clemẽtem. Deus æternus, Elector inclite, diu conſeruet florens imperiũ tuum, idq; faciat eſſe ſalutare ac diuturum. E ludo illuſtri, Miſena Hermunduro-rum, pridie Nonas Maij,

M. D. LXVII.

LECTORI PIO.

Quod nõ concinit aut Deũ perennem,
Aut refert benefacta magna Christi:
Quod non dat meritũ pijs honorem,
Aut mores facit elegantiores:
Quouis id titulo aut colore præstet,
Noli Fabricij putare carmen.

IACOBVS FABRICIVS Chemnicenſis.

His in nota Deus benignus Odis
Lætis rebus & aſperis uocatur,
Ob uitæ dubias fugacis horas.
Hîc CHRISTI precioſus ille ſanguis,
Per tot uulnera pro ſalute fuſus
Humana, quaſi riuulis ſcaturit:
Et corda hymnifero mouens ſuſurro,
Suadet pura agitare feſta Chriſto.
Hîc ſunt inclita Spiritus miniſtri
Cœli turba, Dei parata nutu
Infeſtare malos, probos tueri.
Heroum nitet hîc decorus ordo.
Hîc laus eſt ſua fœderi marito,
Carmen conueniens rei pudicæ.
Hinc exercitium ſacratioris
Feruet militiæ patrum priorum.
Hîc uictricia ſigna cum triumphis,
Quos ſancti pariunt uiri, Angelicq;
Hoſtilicq; trophæa mira cæde.
Nati Virginis hîc uigent Amores.
Hîc ætas rudis excitata diſcit,
Quid mandet Pietas, parens, magiſtri,
Sacrarum pia ſumma concionum.
Hîc cœlum gemitus precum ſubintrant.
Hîc dant gaudia Triſtium querelæ.

Sic de

Sic de fonte aqua limpido salubris
Securè bibitur: nihil uerére,
Putoris nihil his ineſt libellis,
Non eſt hìc Camarina, nec Mephitis,
Anſanctiq; lacus, palus ue Lernæ.

PHIL. MELANCHTHON AD
Comites Lippienſes.

Deo gratias ago, quòd Germaniæ dedit egregios poetas aliquot, quos & erudita antiquitas probaſſet: Eobanum, Sabinum, Stigelium, Micyllum, Georgium Fabricium, Adamum Siberum, & alios. Horum ſcripta inter uetera poemata legere iuniores etiam utile eſt, ut conſiderent exempla, quæ oſtendunt, quomodo ueri Dei laudes in Eccleſia carminibus celebrare poſsint. 1559.

DAVID CHYTRAEVS.

Noſtra ætate Eobanus, Fabricius, & alii, Sacra cantica, & hiſtorias, & dicta Scripturæ præcipua, carminibus luculentis expreſſerunt.

IOANNES STVRMIVS
Georgio Treptæ.

Habet Saxonia uirũ magnum, Georgium Fabricium: magnum uirtute & doctrina. Verſus facit puros, apertos, feſtiuos, & huiuſmodi, ut etiamſi laurea nõ donaretur, tamen uere ſuapte natura & induſtria, laudatus ſit laureatusque poeta.

IDEM, ALBERTO EBLEBIO.

Georgij Fabricij ingeniũ cuiuſmodi ſit, & quę uerſi-

uersibus conscripsit, & quæ oratione soluta tradidit, clarè ostendunt. Magnũ acumen, summa industria, excellens facultas, quibus accedit uirtus atq; religio: usq; adeò hæc magna, ut nos qui uiuimus, eum amemus, posteritas uerò sit admiratura.

CAELIVS SECVNDVS CVRIO
Lib. Secundo de Schola.

Georgij Fabricij Hymnis, & Odis ad Deum omnipotentem, nihil diuinius, nihil in eo genere perfectius.

IOANNES FLINNERVS SVMmi templi apud Argentoratenses pastor, IACOBO *Fabricio Chemnicensi, Suo charißimo.*

Gratia Christi sit in æternũ tecum, mi Fabrici. Accepi nuper tuas literas, XII Augusti ad me datas: quib. nihil mihi fuit gratius, non solum ob doctrinam, sed & ob uestra itinera felicia, atq; in primis ob constantem tuam amicitiam. Video autem ex eis, tibi nostras, quas in Galliam misimus, non esse redditas: quod dolemus. Cum autem iam planè nihil temporis mihi restet ad scribendum, ablego te ad Antonij Vuerteri literas, è quibus nostrum statum mediocrem, Christo sit gratia, cognosces. Hanc schedam scribo, ut ex dono tuo repetam fratris tui doctissimi uersus, sancto regi Daniæ Christiano tam charos:

Sint unum, doceant unum, fateantur & unum,
Qui bene de Christi nomine nomen habent.

Illo

Illorum nullis uirtus animosa periclis
Cedat, & heroa tristia mente ferat.

Posteriores, centies mihi accinere dignatus est, si uidebat me tristiorem. Priores obijciebat in omnib. Ecclesiasticis, domesticis, & aulicis negotijs, sæpe decies uno die: Ey wat maret gi? Sint unum, doceant unum. wat arme sacken sein doch dat, dat wi minscken nit sulke gute Versklen mocken studiren? Hoc testor reuera: & supersunt plures boni uiri in aula huius regis, qui mecũ toties audiuerũt. Nam ex aula Electoris Saxoniæ mittebantur fratris tui scripta semper ad eũ: & Latina carmina bona libentissimè, si de Christo erant, legebat & intelligebat. Si tempus ferret, plures indicarẽ. His in Christo bene uale. Salutẽ ex toto corde precor Apollonio & Alberto fratribus Eblebijs, & omnib. uobis. Tuum me mansurum, quoad uixero, tibi persuade. Datæ Argentorati, raptim, 17 Martii, Anno 1564.

CHR. SCHELLENBERgius.

Fabricij uariè resonat lyra. plectra poetis
Singula sunt alijs; omnia Fabricio.

ILLVSTRI DOMINO GEorgio Principi Anhaltino, Comiti Ascanienſi, Domino Ceruetiorum & Bernburgenſium, Magdeburgico & Miſeno Præpoſito,

GEORGIVS FABRICIVS Chemnicenſis S. D.

EZECHIAS rex Hieroſolymitanus, nunciato regis Aſſyriorum aduentu, priuſquam de exercitu conſcribendo, aut de munienda urbe cogitaret, ad collocutionem cum Deo, & ad Dei prophetæ conſilium confugit: maiore ſpe in ſuis & boni uiri precibus, quàm in copijs auxiliaribus, aut firmitate murorum collocata. Neq; ſanè fiducia eum fefellit. nam & Eccleſia & Reipub. conſeruata, manu cœleſti, & gladio angeli Dei ab omni metu periculi eſt liberatus. Admirandum hoc exemplum eſt, & animo memoriaq; tenendum: ut & nobis quid faciendum, diſcamus: & à Deo quid ſit expectandum, ne ignoremus. Omnes autem piorum precationes, aut ab animi corporis ue periculo, magnisq; aliarum rerũ neceſsitatibus oriuntur, quæ δεήσεις περὶ προσευχὰς καὶ ἐντεύξεις appellantur à diuo Paulo apoſtolo: aut ex beneficij accepti grata

grata recordatione erũpunt, quod genus ὁ εὐχαριστίας nomine idẽ cõprehendit, cùm uel è malis erepti gratias agimus, uel affecti meritis, laudum hostias, aut labiorum uitulos (ut prophetæ loquuntur) immolamus. Igitur & obsecrantes in rebus angustis, & implorantes in casibus magnis, & interpellantes in calamitatibus: seu psalmis, hymnis, atque omni celebrationis genere laudes dicentes, & agentes gratias Deo, iustum debitumq; officium facimus, & uoces minimè inanes irritas ue iactamus: modò ea ratione Deum, qua ipse uoluit & præcepit, unius scilicet Christi nomine & autoritate, inuocemus. Illorum enim non ferenda superbia, & in rebus diuinis deploranda ignoratio est, qui aut sua uirtute dignitateq; nituntur: aut aliorum potius, quàm Christi patrocinio, se gratiosos fore confidunt. Nam qui audent Deum, patrem appellare, cùm Dei filio Iesu Christo alios anteponãt? qui suum nominare patrem, quem in filio nolunt agnoscere, cuius beneficio filiorum nomen & ipsi accepimus? & Abba pater (ut Romanis & Galatis Apostolus testatur) dicere audemus? Atqui de hac potentia qui Christo detrahunt, neq; Dei nomen sanctum haberi, neq; regnum ipsius propagari, neq; fieri uoluntatem cupiunt. contemptu enim Christi, nomen filij negant: superbia, regnum destruunt: uoluntatem, doctrinæ corruptione, obscu-

obscurant. Quare cùm & impij, & arrogan tes, & mendaces sint, Deum nõ colere purè, non inuocare religiosè, non docere sincere, possunt. Delicta sibi condonari, uerbo dicunt: sed rident eam reuera sententiam, non solùm merita efferendo, sed uendendo aliis nescio quas iusticias suas. Quid est, quę so, insania, si hæc non est? extollere, quod non queas: uendere, quod non possideas? In iudicio testimonium, aut suffragium in comitio, aut in senatu sententiam habere uenalem, sceleris & perfidię est: preces in Christiano cœtu uendere, & in Ecclesia aliorum rectè facta nundinari, pium & religiosum censeatur? His certè fraudibus & impostu-ris tum uera inuocatio prorsus sublata, tum Christi meritum ita extinctum est, ut eius mentio publicè ejecta, & ex hominum animis penitus euulsa sit: contrà uerò errores ueteres reuocati, & gentilis superstitio introducta, & totum impietatis regnum confirmatum. Exemplum ex umbra literaria recens proferam, uiri inter eruditos non ignoti. Marullus Constantinopolitanus, patrũ memoria, Hymnos conscripsit, ut Græcus, non ineruditos: ut externus, satis elegantes & Romanos: sed cùm in ijs Imperij amissionem, ruinam patriæ, & exilij sui miseriam commemoret, quem (obsecro) agnoscit & inuocat liberatorẽ? aut cui uota pro spe reliquæ uitæ facit? nónne Soli, Lunæ, Stel-

Stellis, Aetheri, Ventis, Cœlo ipsi? Quòd si in Græcia, in qua floruit: aut in Italia, ubi exulauit: doctrina de uero Deo, eiusq; filio Iesu Christo, nota fuisset: aut si in doctorũ saltẽ bibliothecis libri sacri non iacuissent pulueribus obruti, qui potuisset in id obliuionis ac demẽtiæ incidere uir maximè eruditus? neq; Iouis mysterijs initiatus in antro Dictæo, sed per baptismum Christi sanguine ablutus in Ecclesia? Tumulus igitur eius cùm mihi in Piceno monstraretur, propter temporum illorũ miseriam & istius uiri casum ingemui. Nostra uerò ætate cùm cœlestis doctrina quasi renata sit, & renouata melior disciplina, & magnæ illæ tenebræ lucis clarissimæ splendore discussæ: rectum, & uiro bono dignum est, in singula ista merita, nomini diuino gratias agere, & clementiam Dei omni studio, uoce, oratione, literis celebrare: ut ad colendum & illustrandum religionis nomen atq; auctoritatem alacritas excitetur plurimorum. Conuenit tanti operis memoriam retinere omnes, sed in primis literatos: cauendumq;, ne ij ocio aut ingenijs uel in Dei contemptum, uel in aliorum hominum perniciem abutantur: quos & auocare à prauis opinionibus poterant, & ad maiorẽ uirtutis amorem impellere pro sua sapientia & existimatione debebãt. Scitè profectò in ueteri comœdia, Aeschylo interroganti, cuius rei gratia poetam in admiratione esse conueniat, Euripides respondet:

δεξιότητος καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσι.

Poetam uidelicet commodum quẽdam & sapientem uirum esse uult, eiusq́ uirtutes pręstantissimas lucere in emendandis ciuium moribus corruptis. Mores autem hominum nemo emendat, nisi ueras certasq́ de Deo, & de salute animorum sententias afferat, & omne genus honestarum actionum & uitæ laudabilis demonstret: cultum quoq́ Deo probatum, & inuocationem sanctam, non superstitiosam, non adumbratam, non quęstuosam instituat. Quibus rebus florentibus, optimè res Christiana constituta est: neglectis uerò, aut deprauatis, etiam in bonorum omnium copia, & in reliquarum legum aut traditionum cultura, maxima confusio, & hæc uita miserima est: quia firmis ac necessarijs, in dolore, morbo, exilio, carcere, cruciatu, morte, destituitur & priuatur consolationibus. ad quæ mala toleranda, uincenda'ue, nullę uires aut rationes humanæ satis leuationis aut roboris habent. Fide ardente, conscientia bona, precibus assiduis opus est: ad quæ maxima munera, non natura formamur, sed Dei uerbo instruimur: quæ non à sapientibus traduntur, sed à spiritu sancto infunduntur: nec potentum beneficijs contingunt, sed à filio Dei donantur, solida, sempiterna, diuina bona. Ex pręcipuis uerò cultibus, quos probat Deus, & quos mandatis pręcipit, uel maximus est, laudis & gratia-

rum

rũ actionis, qui ſemper frequẽtia niteſcere, & porrò ad alios doctrina, uſu, ueritate propagari debet. quo quidem ita capitur, & quaſi deuincitur ſuprema etiam Numinis uis, ut ſeſe mortalibus aperiat, & ſua pijs decreta expromat. Vrbem Sodomorum flagitioſam atq; impiam, cùm Deus euertere ſtatuiſſet, idq; no uo quodam & inaudito exemplo, Abrahamum ſui conſilij noluit eſſe expertem: ſciebat enim, ſenem optimum, talem in ſe Dei uolun tatem liberis & nepotibus cantaturum, & celebri memoria propagaturum eſſe ad poſteros. Quid hoc exemplo dulcius? quid facto notius? Cognoſci, diligi, laudari Deus uult omnibus dictis & factis: nullius dignitate mouetur, nec tenuitatem ullius abijcit: neq; magis metuendus eſt ob potentiam, quàm propter facilitatem & clementiam amplexandus. Hæc cùm literis exemplisq; prodita & teſtata ſint, ſæpe animo & ſenſibus ſunt reputãda. ut quemadmodum ſiti urgente, limpidum fontem aut potionem ſalubrem poſcimus: ita mentem cœleſtia appetentem, quaſi cibo meditationis eiuſmodi paſcamus: & ſecundum Poetam noſtrum Magnum,

Læti bibamus ſobriam
Ebrietatem ſpiritus.

Ebrietas autẽ iſta etiãſi à minus exercitatis non ſentiatur, à profanis apertè irrideatur, ut in Hanna Samuelis matre, & in ipſis Chriſti Apoſtolis factum eſt: tamen cõtentione pre-

cum, & Spiritus diuini quasi insinuatione & exorãda & exuscitanda est omni pio: ut ueluti animi bibentium mutantur uino, ita nostræ mentes intuitu & copia beneficiorum Dei erga indigniſsimos, è cæcis demum uidentes, memores ex ingratis, è triſtibus alacres efficiãtur. Hac incensus cupiditate, & desiderio uerbi Dei, cùm ante annos aliquot ijs in locis uersarer, in quibus exemplorum pessimorũ conspectus, & doctrinæ Christianæ nulla esset cura: hoc exercitationis genere meipsum & monere & coercere sum aggressus. Nihil est enim difficilius, quàm publicis moribus repugnare: & ea est naturæ hominis imbecillitas, ut nihil ex animo citius effluat, quàm de Deo & eius beneficijs cogitatio. Postea in ipso bello ciuili Saxonico ad meos reuersus, & in munere, propter tempora, satis graui ac molesto uersans: plura addidi, donec hos ad Deum omnipotentem Odarum libros excuderem: quos illustris nominis tui auspicio, Georgi princeps, mittere in publicum uolui: ut te & patrono clementissimo, & iudice beneuolentissimo ad mei cùm defensionem, tum honorem uterer. Non enim cum præclaris Germaniæ familijs, antiquitate & claritate generis solùm certas: uerumetiam uarietate doctrinæ, cognitione rerum multiplici, sacrarum literarum & consuetudinis Ecclesiasticæ scientia, cum uiris doctissimis es conferendus: labore, studio, assiduitate, etiam diligentissimis antepo-

nen-

nendus. Quòd si iudicio tuo hoc scriptũ probauero, facilè reprehensionem inuidorum sustinebo in eo, quòd ad hoc argumentum tot & tam diuersa carminum genera delegerim. Magnorum certè uirorum facta & res gestæ, suam quandam tractationem, & proprium (ut ita dicam) sonum requirunt: & ueluti alia est querela funerum, alia uox conuiuiorum: alius item urbanorum sermo, alia conuiciatorum uociferatio: ita numeri quoque definiti sunt, & rebus singulis accommodati modi. Laudibus autem Diuinis, ut omnium mortalium uoces ac linguæ, ita omnis numerorũ uarietas, & cantuum modificatio, & artis uniuersæ Musicę flexibilitas conuenit: siquidem in illis non tam concentus & suauitas uocum, quàm mentis puritas, & pectorum canentiũ harmonia consideratur. Verùm accipe Domine hoc paruum à me munusculum, qualecunque obseruantiæ erga te meæ indicium: quod te pro eximia & singulari humanitate, & pro rara ac præstanti uirtute atq; doctrina, clemẽter facturum esse confido. Humanitatem norunt familiares tui omnes, & ego ipse sæpius sum expertus: doctrinã demonstrant præclara librorum monumenta, quæ ad omnem posteritatem ueritatis, pietatis, constantiæ, studij tui erga Dei Ecclesiam, salutaria & perpetua erunt testimonia. Deum æternum precor, patrem Domini nostri IESV Christi, ut Ecclesiæ suæ, & his regionibus ac patriæ

tuæ, diutiſsimè incolumẽ te conſeruet. Vale.
Miſenę Hermundurorum, è ludo illuſtri. XIX.
Calend. Septembris, Anno ſalutis in Chriſto reſtitutæ,
M. D. L I.

GEOR.

GEORGII FABRICII CHEMNICENsis Odarum liber Primus.

AD DEVM OMNIpotentem.

ODA I.

Dicolos distrophos. Versus sunt Archilochii. Primus compositus ex dactylico tetrametro, & trochaico ithyphallico dimetro brachycatalecto: constans scilicet ex duobus dactylis, spondeo, dactylo, tribus trochæis. Alter, ex iambico monometro hypercatalecto, & trochaico dimetro: factus ex iambo uel spondeo, iambo & syllaba longa, tribus trochæis.

–⏑⏑ –⏑⏑ –– –⏑⏑ –⏑ –⏑ –⏑

–– ⏑– – –⏑ –⏑ –⏑

De excellentia Fidei.

PRæuia sideribus, pandens iter arduum salutis,
Lux uera mentis, tristiũ leuamen,
Alma fides, hominem quæ sola beas, facisq; iustum,
Choros & inter cœlitũ reponis.
Quæ premis atq; fugas supra caput imminens periclũ,
Necisq; terrorem omnibus minantem
Demis, & auxilio nunquam sinis esse destitutum.
Per Adriam, Aetnam, per truces tyrannos

Intemeratus iter carpam: neq; pontus, ignis, enſis,
Nec ulla inermi uis nocebit unquam.
Nam comitante fide, fractus licet obruatur orbis,
Nihil bonis quid quam mali timendum.
Credidit, atq; fide conſtans Abraham, tremẽte curuus
Produci ex anu ſenex, potentem
Egregiumq; animi natum: ſubitoq; iuſſus illam
Mactare ſtirpem, ſpemq; posterorum,
Suſtulit intrepidus telum. datur ecce uox ab altor
Enſem recondas, iam ſatis probaſti
Pectora fida Deo. Paſtor quoq; regius, gigantis
Stris puer nulli timendus armis,
Saxa pedumq; tenens dextra, furiasq; uimq; ſpreuit,
Imparq; membris ænei Goliæ:
Sed fidei gladio uictor, caput abſcidit ſuperbum,
Egitq; plenum gloriæ triumphum.
Nempe fide Pharium tranſit pelagus, minace fluctu
Moſes: ſequentes copias tyranni,
Arma uirosq; uidens merſos rapido interire ponto.
Tum pertinaces enſe continente
Proterit indomitus gentes, populumq; ſiſtit illa
Fluente dulci lacte, melle terra.
Inita nam fidei nulla eſt uia, ſeu per æſtuoſas
Syrtes ituro deuorantis orbis,
Siue per horribiles lucos, & Auerna regna Ditis.
Hæc ipſa carnis molle lubricumq;
Vincere ſola poteſt. hæc Pelion Oſſæ, & altũ Olympo
Inferre Caucaſum potens, & Iſtrum
Iungere monſtrifero Nilo. hanc bone Chriſte ſemper
Noſtrisq; frigus mentibus repelle. (auge,

Fideo

Fidere dulce tibi nobis sit, ut omnis ista uita
Sermone, factis, cogitatione,
Teq; tuamq; canat mortem, tibi fidat, inq; solum
Te credat. Extra namq; nulla Christum
Vera salus animis, spes nulla, redemptioq; nulla,
Via ad beatas certa nulla sedes.

ODA II.

Dicolos distrophos. Primus uersus est longus siue hexameter heroicus, constans spondeo & dactylo indiscretis, excepto loco quinto, qui usitate solum habet dactylum. Secundus, Archilochius dactylicus dimeter hypercatalectus, compositus ex pentemimeri dactylica: hoc est, duobus dactylis, & syllaba una.

— — –∪∪ — — –∪∪ –∪∪ — —
— –∪∪ –∪∪ –

Ne bonorum ignoratione peramus, ad salutem inutilia, uel noxia.

QVi uerũ uideant, & non rapiantur, ut alto
Nauis in Oceano,
Diuersis animi uentis, rarissima turba est.
Quid nam homõ lucis habet,
Post uetiti morsum pomi, uiolataq; iura
Primi parentis Adæ?
Nónne preces precibus, uotis contraria uota
Fundimus ad superos?
Quæsq; uiam æternæ remorentur sæpe salutis,
Heu stolidi expetimus?

Ille nocens aurum, magnos rogat alter honores,
Seclaq; Mathusalæ.
Formam alij, multi robur, ualidosq; lacertos,
Dulceq; coniugium:
Ingenio cupiunt meliores uincere, & optant
Laude parare decus.
Deniq; quæ sua quemq; iubet uitiosa uoluntas,
Flagitat illa Deum.
Sed quot propter opes miserè periêre? quot alto
Hora breuis solio
Præcipitauit? & in primæuo flore iuuentæ
Abstulit atra dies?
Noxia forma fuit Helchiti: robore Simsom
Stratus ab ipse suo est.
Isaides thalamos illustres laude parârat:
Quid tamen uxor ei
Profuit, iniusti tunc cùm crudelia regis
Arma tremens fugeret?
Ingenijs quoq; (quis credat?) sapientia magnis
Attulit exitium.
Cùm petat insomnes non excludentia curas,
Materiamq; mali
Stultus homo: tu qui placidissima nomina, Iesu
Christe redemptor, habes,
Quæ bona sunt nobis indulge, nec nocitura
Aure repone preces.
Quòd si perpetui, fidei documenta, labores
Nos sine fine prement:
Da flagrans pectus solido pietatis amore,
Duraq; forte pati.

Quæ

Quale fuit media in turba, cumuloq; malorum,
Acer Iobe tuum.
Sin domus incolumis, reliquis nec fama laborat
Anteferenda bonis:
Nec segetem rubigo, greges contagia lædunt,
Horreaq; implet ager:
In cunctis animum excelsum, rectęq; fruendi
Adjice noticiam.
Vt mens diuino, (seu nube aquilone remota
Clara sit orta dies,
Siue austri turbent) ipsis animosa procellis,
Seruiat imperio.
Nam qui spes firmas in te uno fixerit, omni
Tempore lætus aget.

ODA III.

Dicolos distrophos. Versus Archilochij. Primus iambicus trimeter, secundus dimeter, uterq; acatalectus: qui in locis paribus iambos, in impari-bus iambos uel spondeos admittunt. Prior sex pedibus absoluitur, & dicitur senarius: alter quatuor perficitur, & nominatur quaternarius.

— ⏑ — — ⏑ — — ⏑ —
— ⏑ — — ⏑ —

Pro Christianis principibus, ut iustè imperent.

SEu principi bono regamur, seu malo, 4
Omnis potestas à Deo est. 4
Sanctoq; iussi non renitimur iugo,
Nisi ille mandet impia.

Quòd

Quòd sit bonus dux, & quòd æquus ciuibus,
Donum supernæ gratiæ:
Quòd sæuus autem, quòd repugnans legibus,
Nostro meremur crimine.
Terris, Pater, largire cunctis principes,
Tuæ fauentes gloriæ.
Qui te colant, qui te colentes diligant,
Nihilq; credant utile,
Quod non ad omnium salutem ciuium,
Bonumq; spectet publicum.
Qui non cruenta bella, non affectuum
Cæcum sequantur turbinem:
Sed esse patres, esse custodes gregis
Se Christiani cogitent.
Et cùm nec unus cernat unquam singula,
Nec solus ex se dux sapit,
Dei timentes atq; cordatos uiros,
Pericla fortes spernere,
Puras habentes à pecunia manus,
Adiunge amicos regibus.
Quales Ietro ferre de cunctis iubet
Suæ maritum filiæ:
Qualesq; legit fortis Abiæ nepos
Prudente corde iudices.
Pestes at illas, qui cruore pauperum
Instar Labanis uictitant:
Qui iura condunt, nulla seruant: qui fouent
Malos, premuntq; innoxios:
Qui ueritatem blanda per mendacia
Migrare cogunt exulem:

E' Chri-

Christiani, non dans impijs locum,
Expelle principis domo:
Vt imperando sancte, & exemplis bonis
(Omnes suorum subditi
Mores sequuntur atq; facta principum)
Vulgus trahatur, & uelut
Imaginem loco locatam in arduo,
Bonum intuens in principem,
Iustum colat, uolensq; eidem pareat.
Dux ipse rursus in suos
Mentis paternæ cognitus, grauissimi
Onus laboris perferat:
Nec pro salute traditi sibi gregis
Vitam neget profundere.

ODA IIII.

Dicolos tetrastrophos. Choriambici omnes: priores tres Asclepiadei tetrametri acatalecti, constantes spondeo, duobus choriambis, iambo uel pyrrhichio. Quartus Glyconius trimeter acatalectus: factus è spondeo, choriambo, & pyrrhichio.

— ⏑⏑– –⏑⏑– ⏑⏑
— ⏑⏑– –⏑⏑– ⏑⏑
— ⏑⏑– –⏑⏑– ⏑⏑
— – ⏑⏑– ⏑⏑

Vt æquam ubique mentem Deus præbeat.

Quicquid latiuago spirat in æquore,
Aut quæcunq; tulit terra animalia,

Quic-

Quiequid ſol oculis aſpicit igneis,
Nil infirmum homine eſt magis.
Qui dum cuncta Deus dat bona præpotens,
Venturi peragit temporis immemor
Aeuum: ſin mediis forte leporibus,
Surgit triſte aliquid, iacet.
Seruare intrepidam caſibus omnibus
Mentem perpetuò qui uelit integer,
Miſſo numine diuinitus indiget,
Conſtantisq; animi fide.
Quare ſeu dederis diuitias Pater,
Seu tu pauperie colla premes iugo,
Seu nos innumeris eſſe periculis
Terræq; & pelagi uelis
Subiectos, uacuam ſiue laboribus
Aetatem incolumes ducere, ſeu benè
Nobis, ſeu malè ſit: ne nimium in bonis
Tollat pectora gaudium,
Aduerſisq; metus deprimat, effice.
Nam quicunq; ſuis te ſine uiribus
Confidit, ſterili mandat inania
Demens ſemina littori.

ODA V.

Tricolos tetraſtrophos. Primi duo Alcmanii dactylici tetrametri acatalecti, qui cõſtant ex pentemimeri iambica: hoc eſt, ſpondeo, iambo, & una ſyllaba: & dactylis duobus. Tertius Alcaicus iambicus tetrameter, hypercatalectus, habens primo & tertio loco ſpondeum, ſecundo & quarto iambum: quib. additur ſyllaba indifferens. Quartus

Alcma-

Alcmanius dactylicus tetrameter acatalectus, compositus è duobus dactylis, & totidè trochæis.

__ ∪_ _ _∪∪ _∪_
__ ∪_ _ _∪∪ _∪∪
__ ∪_ __ ∪_ ∪
_∪∪ _∪∪ _∪ _∪

Pro tutela ſtatus Chriſtiani, contra Turcæ tyrannidem.

O Chriſte, nutu ſidera temperans,
Noſtris benignum præſidium malis:
Quem nemo fruſtra unquam rogauit,
Corde rogans humili, fideq;.
Quas concipis non immeritò, graues
Iras, ob horum crimina temporum,
In mitius conuertè, parcens
Supplicibus miſeris, precamur.
Nox atra Eoo ſurgit ab æquore,
Burusq; nautas murmure territat,
Crudiq; Thraces Chriſtiano
Perniciem meditantur orbi.
Iam uela cerno, ſtareq; claſſibus
Aequor, tubarum iam fremitus uocat,
Arma arma poſcentum: reſultat
Vocibus Hæmus, & ora Ponti.
Quò dira uis, quò ſe furor impius
Conuerteti in gentem, pater optime,
Quam proprij nati cruore
Criminibus placidus piaſti.

oſtem

Ostende cunctis obsecro seculis,
Quid posit in te uana superbia:
Atq; hunc procellosis ferocem
Obrue fluminibus Pharonem.
Quæ terra gentis funera Christidos
Non hausit? aut quod non mare sanguinem
Nostrum bibit? quis non aceruos
Mille uagis numerauit aruis?
Aduersa nobis qui sola calcibus
Vrget, ruinas tam lachrymabiles
Audiuit: aut si quis remoto
Longius hinc remoratur orbe.
Sunt plena nostris sidera cladibus,
Augentq; luctum prætereuntium
Voces superbæ, quas molestis
Auribus heu nimium uoramus.
Aut non Deum gens hæc colit impia:
Aut si colit, tam naufragio graui
Mersa, impotentem monstrat esse,
Qui mala tanta queat leuare.
Auerte tantum dedecus, & tuum
Serua per omnes incolumem gregem
Gentes, ut immani tyranno
Non furere hunc liceat furorem.
Te rursus Afer, teq; Asia inuocet,
Olimq; magnis Græcia nobilis
Ausis, reponat thura Idume,
In Solymis adolenda templis:
Vt prædicetur nomen ab omnibus
Sanctum tuum: nec quâ est habitabilis

Tellus,

Tellus, adoretur Babalis,
Aut Mahometis inane ſaxum.

ODA VI.

Monocolos. Verſus Alcaicus choriambicus pentameter acatalectus, exſpondeo, choriambis tribus, iambo uel pyrrhichio. Vtitur eodem Horatius ter, Catullus ſemel.

— — ⏑⏑— — ⏑⏑— — ⏑⏑— ⏑⏑

Exhortatio ad pœnitentiam, propter diem IIII. Cal. Iun. anni M. CCCC. LIII. Chriſtianis calamitoſum, capta à Mahumetanis Conſtantinopoli.

QVis noſtris lacrymas luminibus, quisue dabit ſonos
Aptos flebilibus uocibus? aut dicere quis poteſt,
Quæ contra populos Chriſtiadûm Thrax mala perpetrat?
Eheu flenda dies, & picea digna nimis nota.
Auſter nempe polum cæruleis abdidit imbribus,
Vernæ luce etiam triſte caput Pleiades altera
Obſcuræ extuleraut, & rubeo Biſtonis alueo,
Euxinuſq; uadis ſanguineis pontus inhorruit:
Cùm portas ueteres diruit, & mœnia nobilis
Byzanti, Scythiæ prævalido milite feruidus
Hoſtis, cumq; Orientale ſuo lumine (prò dolor)
Priuans imperium, ceu leo, uel tigris in Indicis
Enutrita iugis, ſæuijt in Chriſtiadûm gregem,
Blaſphemoq; nefas euomuit pectore plurimum,
Opprobrando iubens Chriſtiadas poſcere ſcilicet

A Patre atq; Deo, quam nequeat ferre ſuis opem.
Sol cœlo ipſe iubar, nube latens, condidit igneum,
Intactumq; prius Parrhaſides Oceanum petunt,
Viſum inſtare chaos, uiſa ruina horrida temporum.
Tellus, aſtra, fretum, ſigna noui triſtia poſteris
Portendere mali, cuius in hunc nulla quies diem.
Non quòd difficili Chriſte pias, non placidus, preces
Spernas aure, tui perpetui fœderis immemor,
Immenſæq; neges ſupplicibus munera gratiæ:
Sed nos dura premit culpa, ſed heu heu nimis improbe
Aetas acta, tot in criminibus, matris ab ubere.
Mens noſtra & ſcopulis durior, & ſurdior æquore,
Contemptrixq;, quod hoc iam reuocas tempore, luminis,
Verbi Chriſte tui, quod toties urbibus atq; agris
Cantatum, aſſidue quod canitur, uix humiles ferens
Fructus, nemo animum factaq; dum corrigit impia.
Sed tu parce precor, parce precor: perq; crucem tuam,
Per quam Chriſte tenes æthereo cum patre gloriam,
Indulge ueniam, nec ſocij detrahe ſpiritus
Lumen, ne tenebris obruta mens recidat in nefas.
Ac ſi quid precibus reſtat adhuc, non ſine fertilem
Apros atq; ſues uaſtificos perdere uineam.
Dentes frange feros, ſæuitiamq; excute barbaram.
Diuinæ petulans iſte canis fulmina dexteræ
Fractus ſentiat, & dæmonio cum Mahometico
Aeternæ meritum iuſticiæ ſupplicium ferat.
Tandem ut per populos Chriſtiadûm gloria nominis
Decantata tui, belligerûm corda adamantina
Flectat Sithonidum, ferre tuis munera debita
Templis, paxq; ſolo, paxq; ſalo floreat aurea.

ODA

ODA VII.

Dicolos distrophos. Primus est Aristophanicus choriambicus dimeter acatalectus, ex choriambo & amphibrachy. Secundus Alcaicus tetrameter acatalectus, ex epitrito secundo, choriambis duobus, & amphibrachy: quanquam propter syllabam in extremo cõmunem, in fine amborum bacchius etiam inuenitur.

–⏑⏑– ⏑–⏑

–⏑–– –⏑⏑– –⏑⏑– ⏑–⏑

Vt Christianos ab hostibus pressos,
Deus dignetur erigere.

CHriste hominum redemptor
Nostra in afflictis statio ac portus amice rebus:
Conde preces benigna
Aure clamantum medijs fluctibus ex malorum.
Prælia miscet Euro
Auster, in nostrum caput omnes ueniunt procellæ,
Sidera cum profundo
Sæuiunt. mortem ante uident (eheu) oculos paratam,
Perdere quos atroces
Veritatis, crimine magno, meditantur hostes:
Vel Babyloniorum
More, quos uexant Sybaritæ, madidas habentes
Sanguine Christiano
Dexteras: uel quos Asianus grauibus coercet
Imperijs tyrannus,
Qui tuos extinguere uult, & minitatur omnes.
Quem Nabathæa regna,

Quem timent Persæ, celeris quemq; sciens sagittæ
Parthus, & Africanæ
Ingemunt Syrtes, populos quem trepidat pererrans
Occiduos Iberus:
Christe, quæ mens sit miseris, quotúe malis premantur,
Cognita res tibi uni:
Resq; ut uni cognita, sic solus & unus ipse
Ferre potes leuamen.
Ergo quos dignos placido nomine filiorum
Gratia fecit esse:
In fide serua stabiles, pectoraq; erigendo
Debilitata firma:
Vt suis cùm se uideant criminibus seuerum
Supplicium subisse,
Rursus erecti, & ueniam suppliciter rogantes,
Experiantur iram
Posse sedari gemitu, riteq; pœnitendo.
Nec Deus ipse mortem «
Vis, sed ut uiuens homo tandem malefacta purget. «

ODA VIII.

Dicolos distrophos. Primus Hipponactius trochaicus dimeter catalectus, è trochæis tribus, & una syllaba. Proximus Hipponactius iambicus trimeter catalectus, constans ex iambis quinq; & semipede, admisso tamen locis imparibus spondęo.

– ∪ – ∪ – ∪ –

∪ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪ – ∪

Vt uoluntate egregia ad Deun semper erecti, res humanas contemnamus.

Rebus

REbus est in omnibus "
Nihil beatum: suauitas amaro "
Blanda felle tingitur.
Nihil fidele, quicquid æstuante
Pontus ambit æquore.
Nihil ue constans mobili sub orbe
Luminis triformis est.
Et in metu, spe, gaudio, timore
Tota uita degitur.
Inane quicquid, sensibus putando
Voluit anxijs homo,
Velutq; per loca incitus mouetur
Turbo plana uerbere:
Ita his miser molestijs, & illis,
Inquietus angitur.
Fretum, solum, polum benignus auctor
Administrat omnium,
Regitq; corda fulciendo mentes
Debiles fidelium.
Hunc inuocemus, hunc precemur, ut det
Fluxa cuncta spernere,
Nec in caducis spem locare fixam.
Nam beare neminem
Opes, amici, sceptra, honorq; possunt:
Vna sed salus, Deo
Placere, nec periculo minisq;
Territum recedere
A ueritatis & salutis arce.
Cumq; mundus omnibus

Fidem profeßis inſtet, & perennis
Hoſtis innocentiæ,
Caroq; noſtra ducat in barathrum,
Regna dira & horrida:
Adeſto, nam potes iuuare, Chriſte.
Néue legibus tuis,
Datoq; uiuendi modo, uoluntas
Corde ceſſet improbo:
Rogantibus, quam ſæpe polliceris,
Fidus afferas opem,
Tuoq; noſtra prælia & labores
Enſe uictor adiuues.
Enſem ſacrati gratiam & fauorem
Scimus eſſe ſpiritus.
Sic ægra mens & ſaucia, atq; mille
A tot hoſtibus dolis
Petita, non in tam graui duello
Deſeretur, omnibus
Malis tuo fauore liberata.

ODA IX.

Dicolos diſtrophos. Primus uerſus heroicus hexameter, qui & Epicus dicitur: alter iambicus dimeter, qui & quaternarius. de quorum compoſitione, ſecunda & tertia Oda dictum eſt.

– ∪ ∪ – – – ∪ ∪ – – – ∪ ∪ – –
– – ∪ – – – ∪ –

Pro angelo, cuſtode unicuique homini attributo, gratiarum actio.

CHriſte, quot inſultus hoſtis, quot ſæua pericla
Cuſtode abarces Angelo:

Quem

Quem nobis uitæq; ducem, sociumq; salutis
Pio dedisti numine.
Quis mortalis enim tot retia nexa, suarum
Infirmitate uirium
Effugeret, si non meliore adiutus opum ui,
Malum imminens euaderet?
Nam nulli sua tuta domus, fidiq; penates
Essent, & armis improbos
Muniti ac ferro nequicquam iremus in hostes,
Aut in manus grassantium,
Votaq; deprensi frustra faceremus in alto,
Nec herba morbos tolleret.
Et seges agricolam fallaci luderet aruo,
Non uua funderet merum.
Nemo suam aspiceret, dulcissima pignora, prolem,
Matris necatam uiscere,
(Tanta sitis perdendi hominem) nisi Christe fidelem
Cunctis dedisses angelum.
Quo Lothus exitium comite, immissumq; Gomorrhæ
Vitauit imbrem sulphuris.
Quo socio, Medum patris unica cura Tobiæ
Iter peregit inscius.
Quo retimente, tremunt rabidi Daniela leones,
Iubaq; ponunt horridas.
Quoq; tuente, meum non obruit æquoris undæ
Caput, Metauri ad ostium.
Talibus insidijs cùm corpora nostra petantur,
Quæ mentibus quies erit?
Omnibus illud agit uæsanis diribus hostis,
Vt deleat ueram fidem,

Extenuetq; Dei meritum, securaq; reddat
Vitæ & salutis pectora.
Quòd mea si centum resonarent plectra Camœnis,
Non machinas tot proderem,
Quot ferus hostis agit, quibus & pia pectora quondam
In grande compulit scelus.
Isaides constansq; fide, princepsq; repertus
Amans Dei, gratus Deo:
Isaideq; satus, quo nil sapientius unquam
Sol orbe uidit igneo:
Atq; fidem cuius supra, fundamina templi
Christus locauerat sui:
Ausi omnes immane nefas: constantia uicta est
Pellacis astu dæmonis.
Gratus inex haustæ bonitatis munera, gratus
Agnosco corde supplice,
Qui pateris raros inimici fraude perire,
Tuam expetentes gratiam.
Adijciensq; duces, qui nos per cuncta gubernant,
Aulæ supernæ milites,
Aspera cuncta domas, pedibusq; Acherõta superbum
Colentium te subijcis.
Da precor, ut tali assiduas pro munere grates
Lingua omnis, omne cor sonet:
Vtq; eius, curæ cuius nos subijcis æquæ,
Velut clientes, Angeli,
Post opus exactum uitæ, socij, atq; perennis
Ciues putemur patriæ.

ODA

ODA X.

Dicolos distrophos. Versus choriambici acatalecti. primus Glyconius trimeter, alter Asclepiadeus tetrameter. ex quibus etiam generibus facta est Oda quarta, sed auctis strophis, & positu earum inuerso.

— — —⏑⏑— ⏑⏑.

— — —⏑⏑— —⏑⏑— ⏑⏑

Ad pellendam humanæ mentis ignorantiam, ad Deum Spiritum sanctum.

O Splendor Patris ignee,
Cæcarumq; Deus lux bona mentium,
Noctem somniferam fuga, &
Inflamma facibus pectora segnia.
Nil nos quàm tenebræ sumus:
Nec ueram minimæ noticiam rei, «
Ni tu luce carentibus «
Præsis ingenijs, possumus assequi. «
Per te nouimus unicum,
Qui cœli residet culmine, principem.
Per te, quod patre prodijt
Verbum, teq; tuo numine conciti:
Cuius forma licet nequit,
Humanoq; modus pectore percipi,
Cum Nato & Patre comparem,
Et trinum ueneramur fide, & unicum.
Per te, cùm uaga flectimus

In terras iterum lumina, cernere
Nos nil, cernimus: omnia
Errorum tenebris obsita tristibus.
Quare lampade flammea
Nigrantis placidus nubila disijce
Noctis, purpurei tuis
Splendorem reuocans solis amabilem,
Ne spes lubrica uirium
Nostrarum, specie decipiat boni,
Incautos faciens pedes,
A' recta temere uertere semita:
Aut ne nos uetitam leuis
Error cogat opem quærere nescios.
Vt qui dandus honor Deo,
Vt quæ pro meritis gloria filio,
Vni detur honos Deo,
Vni pro meritis gloria filio.

ODA XI.

Monocolos tetrastrophos. Versus Asclepiadæi choriambici tetrametri acatalecti: quorum compositio & numeri proxima antecedente Oda, & suprà Oda quarta sunt demonstrati.

— — ⏑⏑ — — ⏑⏑ — ⏑⏑

Pro meriti Christi illustratione & propagatione.

SQuallebat tenebris horrida inertibus,
Incultoq́; situ traditionibus
Deformata hominum, quo nituit prius,
Clarum perdiderat Relligio decus.
Non hic plura canam digna piaculo,
Quæ contra fidei dogmata Christidos,

Au-

Auctorisq; Dei iussa patrauerat,
Ingratorum hominum perfida cæcitas.
Vnum, unum satis est, & nimium graue,
Quòd nostris meritis posse putauimus,
Quam Christus peperit uulnere plurimo,
Cœlestem miseri scandere patriam.
Hanc nubem Boreæ flatus amicior,
Inducta pepulit luce: nec ut uagis
Mortale in tenebris perpetuò genus
Marceret, luteæ nescium originis:
Sol ipse insolitas antè secans uias,
Arctoo exoritur pulchrior æthere,
Et cum Parrhasijs (sic placitum Deo)
Stellis, Oceano non caput occulit.
Vt lux ista nouæ splendida gratiæ,
Terrarum penitùs per sola fulgeat,
Præclaraq; necis sentiat, ultimo,
Fructum si quis adhuc axe reconditur.
Per Christi meritum, perq; crucem datur
Cœlum, uita, salus, & uenia, & fauor
Firmis inq; fide, fonte simul sacro
Purgatis, precij munere nullius.
Cuius qui merito morteq; nititur,
Et fosso sitiens de latere hauserit,
Non fretus proprijs uiribus aut ope,
Rectum solus iter tendit ad ardua.
Affixus licet & totus erit Deo,
Et fructus fidei proferet uberes,
Se seruum tamen hic dicet inutilem,
Ingratumq; benigni officijs heri.

Hos Christe ô animis sic tibi deditos,
Vtq́; ad te referant omnia sedulos,
Conserua miseris temporibus precor,
Mansuetusq́; tuo numine protege.
Atq́; illos, tenebras qui medium diem
Dicunt, officij non memores tui,
Illustra placido lumine gratiæ,
Illorumq́; doma pectora ferrea:
Nosq́; omnes, tua quos concilians patris
Iram, mors rapuit tartareo iugo,
Coniunctos simili fœdere, paceq́;,
Fac tecum superis uiuere sedibus.

ODA XII.

Dicolos distrophos. Versus primus heroicus hexameter, secundus iambicus trimeter: de quibus actum est in superioribus.

–⏑⏑ –⏑⏑ –– –⏑⏑ –⏑⏑ ––

–– ⏑– –– ⏑– –– ⏑–

Pro conseruatione concordiæ in Ecclesia.

QVi regis imperio quicquid fuit atq́; futurũ est,
Cœlo soloq́;, Ecclesiæ sanctæ caput:
Nos tua membra sumus per acerbæ uulnera mortis
Facti, tuæq́; Christe non pudet crucis.
Quanta sit, ipse uides, leuis inconstantia mentis,
A' te parente quæ optimo atq́; maximo,
Quouis exagitata noto, deflectit, & auras
Captat fugaces, uana mundi nomina.

Caligo

Caligo humanis, heu, quanta in mentibus hæret,
Caligo lucis Spiritus egens ſacri.
Quot ſectæ, & ueræ pugnantia dogmata legi?
Quot indirempta factionum iurgia?
Quot foueæ, & ſcrobibus cælata tacentibus antra,
Et ſemitarum torta ſunt diuortia?
Quiq; prius ſocijs pellebant uiribus hoſtem,
Quàm dira miſcent inuicem nunc prælia?
Chriſte tui populi memor, inuiolabile uerbum
Parentis, & rex, atq; uerus pontifex,
Ejice uendentes de templo ſacra Simones,
Hoſte tuos noſtroſq; non placabiles.
Nec ſine diſcordi lacerari quæſo furore,
Coniuncta quæ fuêre ſanctorum agmina.
Pontificemq; pium concede, piosq; miniſtros,
Qui te unicum monſtrent Parentis filium,
Quiq; ſacro inuigilent uerbo, & ſe nomine dignos
Factis fideq; Chriſtiano comprobent.
Ne lupus in miſeros ullus ſic ſæuiat agnos,
Aprisq; detur diſſipanda uinea.
Nos ſumus, ô bone Chriſte, tuo quos ipſe redemptos
Dignatus es ſacro lauare ſanguine,
Nos ſumus in toto grex contemptiſſimus orbe,
Quòd hæret in te plena ſpes fiduciæ.
Nos ſumus, admiſſi ſceleris quos pœnitet, eheu
Nihil merentes, te rogantes gratiam.
Reſpice nos, propter tua tot promiſſa paterna,
Quæ neſciunt uerè inuocantes fallere.
Erige collapſi ſemiobruta mœnia templi,
Eius iacentes & ruinas excita.

Inuido

Inuiolata tui perſtent oracula uerbi,
Nomenq; puris prædicetur uocibus.
Vt ſint unamini concordes fœdere cuncti,
Vitentq; acerba Chriſtianis iurgia.
Tum qui ſunt prauis (ut multi) erroribus acti,
Cedant libenter ueritati cognitæ:
Huic ut terrenæ, ſuperæ quæ illius imago eſt,
Sit una mens, uelut caput unum Eccleſiæ.

ODA XIII.

Dicolos tetraſtrophos. Tres primi uerſus Sapphici hendecaſyllabi pentametri acatalecti, facti à trochæo, ſpondeo, dactylo, trochæis duobus. Quartus Adonius pentaſyllabus dimeter acatalectus, conſtans dactylo & ſpondeo. Propter extremam ſyllabam priores clauduntur ſpondeo: is qui accinitur, trochæo.

– ∪ – – – ∪ ∪ – ∪ – ∪
– ∪ – – – ∪ ∪ – ∪ – ∪
– ∪ – – – ∪ ∪ – ∪ – –
– ∪ ∪ – –

Pro Eccleſia, & pro uigilante præſide.

Colligit nubes uiolenta Cori
Vis, & humentes quatit auſter alas,
Audit in uaſto timidum profundo
Nauita murmur.
Cymbulæ heu quantum fragili timetur,
Quæ tot inſanis agitatur undis,
Dum iacet ductor nimio grauatus
Pectora ſomno?

Quæ ſalus, quæ ſpes reliqua eſt quietis,
Eſca num monſtris dabimur marinis,
Membraq; hærebunt in inhoſpitali
Naufraga ſaxo?
At Deus, noſtri miſeratus, iſtum
Protinus tollas animo ueternum,
Desq; rectorem dubijs peritum oc-
Currere rebus.
Qui manu clauum teneat fideli,
Quiq; nunquam amittat, in alta magni
Semper intentos oculos leuando
Sidera cœli.
Vocibus cuius peramanter omnes
Pareant: cuiusq; alacres & ultro
Quæ tibi ſoli placeant iubentis,
Iuſſa faceſſant.
Da precor cymbæ modò fluctuanti
Hinc & hinc mites Zephyros, eosq;
Qui ferant caſus uigilanter omnes
Chriſte magiſtros.
Vt per hoc mundi mare, tuta portum
Tangat optatum, uiridemq; uictrix
Præferens palmam tibi, ſempiterno
Gaudeat æuo.

ODA XIIII.

Tricolos tetraſtrophos. Omnes ſunt choriambici. primi duo Aſclepiadei tetrametri, qualiũ eſt tota Oda undecima. Tertius Pherecratius dimeter hypercatalectus, ex ſpondeo, & choriambo, & unica ſyllaba communi. Quartus Glyconius trimeter,

meter, cuiusmodi est ultimus Odæ quartæ, & primus decimæ.

— ⏑⏑— —⏑⏑— ⏑⏑
— ⏑⏑— —⏑⏑— ⏑—
— ⏑⏑— —
— ⏑⏑— ⏑⏑

Pro ijs, quorum culpa malè audit excitata nuper ueritas Euangelica.

Aeternis odijs omnibus additus,
Nomen fiderei qui patris inuocant,
Christum quiq; pudica
Natum uirgine prædicant,
Getulus ueluti circumiens leo,
Aut fœta Armenijs ut fera montibus,
Raptor cui sobolem ultra
Hircanum mare uexerit.
Heu quanta trepidum sæuitia gregem
Infestat, medijs funera tristia
Campis horridus edens,
Vdis sanguine rictibus,
Pastorumq; fidem iam magis aggredi,
Ductoresq; gregis nititur, ut ferox
Fusis prædo magistris,
Tutò carpere oues queat.
At qui magnanimi robore pectoris
Vim diram prohibent, insidijs petit,
Dónec retia capto
Ignara injciat pedi.
Aufert illicita corda libidine,

Et pra-

Et prauis stimulans sæpe furoribus,
Molli fractaq; luxu,
Non unum in facinus rapit.
Aut ardore aliquo non satiabili,
Magnarumq; fame sollicitans opum,
Vt ne parcere possint
Commissis ouibus, facit.
Sic uersi in populi uiscera proprij,
Mites ante suis, cladibus impiè
Augent omnia magnis
Crudeles rabie noua.
Quin doctis etiam sæpe probantibus,
Defendunt rigidi crimen, honestaq;
Turpi nomina culpæ
Imponunt, sceleri scelus
Addentes miseri, multaq; millia
Auertunt hominum, quos prius antea
Totos ardor habebat
Verbum Christe sequi tuum.
Qui blandis oculis aspicis omnia,
Et sancto penetras abdita numine,
Instanti prece motus,
Hoc auerte nefas Pater.
Ne nostris uitijs gloria nominis
Sit contempta tui, neue calumnijs
Detur causa, sed omnes
Vno te celebrent sono,
Apportetq; sacris Thrax humilis fide
Aris, à tumido munera Bosporo
Sæuis æquora qui nunc
Armis omnia territat.

ODA XV.

Dicolos distrophos. Primus uersus heroicus hexameter, de quo Oda secunda, nona, & duodecima. Alter Archilochius dactylicus tetrameter acatalectus, ex quatuor ultimis heroici pedibus,

–⏑⏑ –⏑⏑ –– –– –⏑⏑ ––

–⏑⏑ –– –⏑⏑ ––

Vt Deus ad studia mortalium uaria, pietatem adiungat.

INnumeris studijs certatur, nec capit ullum
Cura hominum aut industria finem.
Viribus ingenij multi super astra uolarunt,
Difficiles tolerando labores.
Sunt qui diuitias alto mersere profundo,
Et terras adiêre remotas:
Effoßisq́; oculis quidam (mirabilè) dulci
Se priuarunt lumine solis.
Feruenti quis nescit adustos Gymnosophistas
Puluere, Caucaseisq́; pruinis?
Currit ad Antipodas, priscisq́; incognita seclis
Mercator uagus aspicit astra.
Hic fodit immensis è terra sumptibus aurum,
Mammonæ cæca ostia pandens.
Ast alius suæ rura colit, luxumq́; perosus,
De proprio uxorem grege uestit.
Filius utq́; ualens non desit inutilis ipsi,
Ferre docet frigusq́; famemq́;.
Plurimus ut longo spectetur in agmine clarus,
Tergeminos suspirat honores:

Spare

Spargat ut hostiles effuso sanguine campos,
Miles sponte pericula quærit,
Vtq; procelloso moriatur in æquore nauta,
Contemnit tellure morari.
Sed qui terrenis cupiant æterna relictis,
Et iusto pietatis amore
Accensi, ad Christum referant, animæq; salutem,
Quicquid agant, uix unus & alter.
At tu summe Parens omnem moderare laborem
(Nam studijs sine talibus æuum
Degere nemo potest) ut maxima cura placere
Sit tibi: quæq; sequi altera debet,
Auxilijs homini prodesse libenter egenti,
Aerumnisq; leuare grauatum.
Sic ferat unusquisq; operum uitæq; laborem,
In diuinum ut cedat honorem.
Nam quicunq; lucrum, uel laudem captat inanem,
Quiq; fugacia præmia quærit,
Exiguo uere gaudebit tempore: sed qui
Perpetua & cœlestia malit,
Ille animas inter sanctas, diuumq; senatum,
Aeterno ponetur honore.

ODA XVI.

Monocolos. Versus omnes sunt Archilochij iambici trimetri, ut in Oda tertia primus, in duodecima ultimus.

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– – ⏑ – ⏑ – ⏑ – – – ⏑ –

VI Deus tumultuantium conatus frangat.

O Pacis & concordiæ princeps Deus,
Pacem relinquens, uictor Orci, cœlicas
Cùm scanderes magnus triumphator domos
En totus in dissensionibus diu
Iactatus orbis concipit concordiam,
Alitq; lætis spem bonam in præcordijs,
Discordiarum posse uentos comprimi,
Reddiq; uexatæ quietem Ecclesiæ.
Satan sed istud dulce pacis uinculum
Rumpens, suis atrox furit calumnijs.
Quid lente cessas ô Pater? quid amplius
Quieta turbis concitantem plurimis,
Pestem inspicis diram sereno lumine?
Puni caput nefandum, & aufer noxios
Monstri ministros, iusta sparge fulmina.
Ne glorientur, néue cristas erigant,
Obstentq; sanctis impij conatibus.
Fac nomini semper studentium tuo,
Totoq; pacem corde flagitantium,
O' Christe uincat te iubente auctoritas.
Quod ut uelint optentq; cuncti, candidæ
Immitte amorem cordibus concordiæ.
Ac ueritati nequis obstet cognitæ,
Superba frange, dura molli pectora,
Clarumq; cæcis lumen adde mentibus.
Te solum adorent, teq; solum prædicent,
Quà sol Sabæos, quaq; Iberos prospicit,
Vno omnium uoces sono mortalium,
Pacisq; iuncti & charitatis fœdere,

De mem-

Ne membra capitis esse monstrent unum.

ODA XVII.

Dicolos distrophos. Primus Archilochius iambicus trimeter, ut præcedentis Odæ uersus omnes. Secundus Sapphicus, qui conflatus ex pentomimeri dactylica, & iambico dimetro acatalecto, constans è duobus dactylis & syllaba longa, & è iambis quatuor, recepto per imparia loca spondeo.

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – ⏑ – ⏑ –

Pro Carolo V. Augusto, in Africam eunte, contra classis Turcicæ præfectum.

IN *efferatam iusta Zelimi domum*
Carolus arma mouet, solo fretoq; militans,
Potentiaq; nominis terret sui
Cinyphiasq; domos, & Africanas regias.
Quem rebus humanis ferè labentibus,
Christe fouere tuo dignare nutu principem:
Vt Christiano contumelias gregi
Quas facit hostis atrox, manu potenti uindicet,
Face atq; ferro Sulimanum persequens,
Totq; homines miseros intolerabilis graui
Vt eximat de seruitutis carcere.
Ac Mahometigenas, tua iuuante gratia,
Mites cruentis reddat è lupis oues:
Vt fidem in orbe alio, nec gente priscis cognita,
Australibusq; subdita plagis, nouos

Inferat in populos: ſententijsq; diſſitas
Mentes amicam cogat in concordiam:
Oenotriæq; caput, doctrina & exemplo improbum,
Et ueritatis & pudoris imperet,
More ſequi ueterum, leges: & altam ponere
Damnatam in angelis Dei ſuperbiam.
Mente petens Numidas illa, impiorum uindice,
Hoc inter hoſtes, inter æquoris minas
Chriſte tuere caput, fidumq; ſicut Ioſuam, &
Dauida multis nobilem uictorijs:
Vtq; Theodoſium, cui pontus, æther, Africus
Pugnabat; utq; illuſtre Pipini genus,
Atq; duces alios, pro ueritate cognitos,
Sacro foue, ſerua, guberna numine.
Vt uelut orbis habet nil maius ipſo Cæſare,
Sic ſanctius nil noſcat & felicius,
Cœlicolisq; nihil, ſummoq; gratius Deo.

ODA XVIII.

Dicolos triſtrophos. Verſus omnes ſunt Ionici acatalecti puri. Primus & ſecundus Sapphici trimetri, ex tribus Ionicis à minore. Tertius Alcmanius tetrameter, ex quatuor Ionicis à minore. Vltimo in loco collocari poteſt pæan tertius.

∪∪−− ∪∪−− ∪∪−−
∪∪−− ∪∪−− ∪∪−∪
∪∪−− ∪∪−− ∪∪−− ∪∪−−

Pro inſtaurata nuper doctrina Euangelica.

Tibi

Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorũ memores Christe tuorũ,
Quia noctis tenebras sole coruſco pepulisti.
Fera Germania duris prius armis
Alijs à populis neſcia uinci,
Sua iam colla iugo præbuit, atq; obtulit ultrò.
Tua cùm lux uenerandi ſacra uerbi
Micuiſſet, tenuem uiſa per umbram,
Ab iniquis, diuturnis malè ſuppreſſa tenebris.
Quis ad unum referebat bona Chriſtum?
Quis ab uno rogitabat bona Chriſto?
Sibi fingens proprium quiſq; deum, in uota uocabat.
Sacra uenalia, cœlum ære patebat:
Meretricisq; cubili Papa ſurgens,
Sacroſanctas ueluti ſus lutulenta ibat ad aras.
Tibi laudes recinamus, tibi grates
Meritorum memores Chriſte tuorum:
Quia cæcis radians reddere lumen uoluiſti.
Hominum friuola doctrina uigebat.
Grauidum fœmina uentrem poſitura,
Reperit cui faceret uota Dianam: rapit alter
Modò diuus tibi Neptune tridentem.
Neq; Caſtor neq; Pollux mare ſiſtunt.
Grauis utq; ære domum dextra feratur, noua poſcit
Modò mercator opem numina: ſæuus
Noua miles, quibus haſtam det & arma.
Numerum terra nec illum, neq; cœlum capiebat.
Sator autem maris, aſtrorum, & abyſſi,
Quaſi non ferre potens auxilij uim,

Erat ignotus, & eius data laus est alienis.
Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores Christe tuorum,
Quia totum tua sparsit radios gratia in orbem.
Subitò cum tua uox æthere ab alto,
Leuis Euri penetrans, horridi & alas
Aquilonis, glacialem fuit audita prope Arcton.
Vitreo flumine currens, rapis urbes,
Rapis agros, superis cognite, & omne
Memorande aurifer Albis, cithara & uoce per æuum.
Pia salue, pia flore, pia persta,
Decus amplum exiguæ Leucoris oræ,
Tua regnis benefacta, & tua cœlo merita æquas.
Noua Christum paris hoc tempore Bethle,
Noua Sarepta pium pascis Eliam,
Studijs inclita magnis, renouato inclita uerbo.
Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores Christe tuorum,
Quia multorum animis est fidei lux patefacta.
Tener infans placidæ dum ubera matris
Trahit, aures sibi sanctis resonare
Modulis sentit, & audit puer, innuptaq; uirgo,
Sacra passim recini carmina uatum.
Fora, uici, plateæ, templa, theatra
Variarum feriunt sidera dulcedine uocum.
Pede pressans tumidas rusticus uuas,
Et opimam subigens uomere terram,
Apud armenta, sato uirgine, pastor canit hymnos.
Operosæ uigilans nocte lucernæ
Mulier, psalmisona uoce laborem

Minuen-

Minuendo, fruitur cœlo, animo elata beato.
Tibi laudes recinamus, tibi grates,
Meritorum memores Christe tuorum,
Quia portæ Paradisi miseris denuò apertæ.

ODA XIX.

Dicolos distrophos. Primus uersus heroicus hexameter: de quo quatuor locis antea. Alter Archilochius, constans ex iambico dimetro acatalecto, & dactylica pentemimeri, planè inuersus cum partibus Sapphici Odæ septimędecimæ. Hęc autem genera primi libri sunt Horatiana, nullo omisso, quo ipse in Carminibus utitur.

⏑–⏑⏑ –– ⏑–⏑⏑ –– ⏑–⏑⏑ ––
–– ⏑– –– ⏑– ⏑–⏑⏑ ⏑–⏑⏑ –

Pro cotidianis Dei in nos beneficijs, gratiarum actio.

QVidquid ago, quòcunq; animum uel lumina flecto,
Quò cogitationibus mens penetrare potest,
Obstupeo attonitus, neq; dignas Christe tibi unquam
Grates queo pro maximis dicere muneribus:
Siue diem, noctisq; uices, anniq; meatus,
Cœlumq; stellatum, manus omnipotentis opus:
Siue mare insanis subiectum cerno procellis,
Vitæq; nautas prodigos tendere uela salo:
Seu picta innumeris uiridantia floribus arua,
Benigna quæ mortalibus dant alimenta, cibos:
Omnia quæ nostros fecisti mitis in usus,
Non lingua laudes sufficit reddere nostra tibi.

Nec uarias artes, uitæ ornamenta, tacebo,
Humana multo mens quibus cultior esse solet,
Cernere multarum causas arcanaq; rerum,
Inconditumq; ex condito noscere posse Deum.
Esse canes & equos, immansuetosq; dracones,
Gratos amicis: particeps cùm rationis homo,
Tam ferus, ut nullo officio benefacta rependat,
Quæ de Deo semper, uelut fonte perenne, fluunt.
Aut quia nemo bonis ullam persoluere tantis
Vicem potest, ut se imparem prædicet esse tamen:
Atq; hac aut simili fateatur uoce, supremi
Meritum parentis, supplici uersus ad astra manu:
Magne Pater, cuius sunt omnia, quo sine nunquam
Comæ mouentur arborum, nec folia ulla cadunt:
Quàm nihil humanis agnosco in uiribus esse,
Et usq; me obrui tuis sentio muneribus.
Cerno nec esse meum, ut tantùm tibi gratus haberi
Queam, nec illud cerneret cor sine luce tua.
Si qua tamen (quæ nulla potest pro munere tanto
Vnquam referri gratia) at si tamen ulla potest,
Hanc sine me quoq; ferre tibi. sed cùm neq; lingua,
Nec mens id assequi tua pro pietate ualet:
Meq; animumq; tuo mihi tradita munere dona,
Addico & offero pijs ô Pater obsequijs.
Me rege, daq; animum docilem, ne labar in ullum
Nefas, scelusq;: nam tui muneris omne bonum est.
Vtq; nica Aegæas superant delicta procellas,
Aequantq; harenæ pulueres æquoris Ionij:
Sic bonitas tua Christe super uolat ardua cœlos,
Certũq; non habet, nec est unquã habitura modũ.

GEOR-

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS ODArum Liber II.

AD DEVM OMNIpotentem.

ODA I.

Dicolos pentastrophos. Versus omnes trochaici. Priores quatuor Glyconij dimetri acatalecti, è duobus trochæis, & totidem iambis, uel ultimo pyrrhichio. Quintus Ithyphallicus dimeter brachycatalectus, è trochæis duobus, iambo, & syllaba. Septem primæ Odæ huius libri Catulli sunt, quibus in Epigrammatis usus est.

–∪ –∪ ∪– ∪∪
–∪ –∪ ∪– ∪∪
–∪ –∪ ∪– ∪∪
–∪ –∪ ∪– ∪–
–∪ –∪ ∪– ∪

A Dei bonitate omnia commoda fluere mortalibus.

Deo incipiens opus
Omne, desinat in Deum:
Nostra quo sine cernitur
Vis inanis, & irrita.
Vnus omnia Christus.
Dux adit fera prælia
Frustra, ab hoste nisi Deus

Protec

Protegat: neq; copia,
Multitudoq; militum
Vincit oppida bello.
Pulsa tympana ſubruunt
Firma mœnia Hierichûs:
Rupta uaſa fugant ſono
Agmen innumerabile
Libero Gideone.
Abſcidit mulier caput
Olloſernis, & in fugam
Caſtra conijcit hoſtium.
Rupit & ducis impij
Virgo tempora clauo.
Namq; difficile eſt Deo
Nil fauente, nec arduum.
Tu modò ſtabilis fide
Permane, neq; ſpem leuem
In caduca repone.
Clara quis numerauerit
Aſtra? quis Libyæ aridæ
Pulueres? quis Atlantico
Algam in æquore? quis tuos
Inde mollis odores?
Quis tuæ, precor, explicet
Chriſte munera gratiæ?
Quæq; adeſſe ſolet pijs
Vſq; prompta benignitas,
Quis canat ſatis illam?
,, Dantur omnia per Deum:
,, A Deo bona perpetim,

Fonte

Fonte ut ubere defluunt.
Nam ſuis homo uiribus
Quid poteſt, ſine Chriſto?
Membra uulnere liuidus
Ante qui Patris ora ſtans
(O amor) ueniam petit,
Impetratq; fidelibus,
Leniens Patris iram.
Cæcus audet homo tamen,
Quas decet minimè uias
Quærere: & malè uiribus
Fiſus ipſe ſuis, ſibi
Mortis auctor acerbæ eſt.
Hoc ueta, precor, horridas
Mentis & tenebras tuæ
Luce propitius fuga.
Nulla namq; homini, tibi
Chriſte maxima uis eſt.

ODA II.

Monocolos. Verſus Ariſtophanici iambici tetrametri catalecti, facti ex iambis ſeptem & ſemipede, primo tamen & tertio & quinto locis admiſto ſpondeo.

— — ⏑ – — ⏑ – — ⏑ – ⏑ – —

Deploratio indignitatis ſuæ, & diuinæ miſericordiæ imploratio.

QVis corda torqueat dolor, quid impetrare ſupplex
Vox geſtiat, noſti prius quàm linguam & ora ſoluam?

Qui

Qui pectorum abditos sinus, & cordis ima lustras.
En ante me pedes tuo, prosterno Christe, notum
Malum, & peractam turpiter uitam miser retexens.
Accedo mentem saucius, fac integer recedam.
Quàm multa per iocos puer lasciuiamq; feci,
Contra parentes, quiq; litteras rudem docebant.
Quàm multa, cùm docentium rigor metusq; abesset,
Indigna moribus bonis & litteris sequebar.
Accreuit ætas, creuit & leuis cupido laudis,
Dum nomen & famæ decus uenor fugax: tot olim
Dies locaui perditè: heu florem uirentis æui,
Vitæq; tempus aureum absumpsiq; perdidiq;:
Nam perdidisse me puto, quodcunq; prædicandis
In laudibus non est tuis, & gratia peractum.
Obrepit ætas, occidit sol, anni eunt uolucres,
Et relliqua uitæ tibi seruire parte cesso?
Ignosce quidquid inscius sciensq; perpetraui:
Ac quod uenenum, cærulam draco notatus aluum,
In uiscera intus condidit, fructum arboris puella
Eluſa, fraude dum metit, manu alleua fideli,
Quodq; ipse crimen indies, cæco incitatus æstu,
Adiungo, tolle: nec sine irritus uolare uoces.
Tum spiritum para nouum, purosq; corde sensus,
In uineamq; mox tuam iube uenire Christe.
Fac in laboribus diu durem, usq; perferendo
Quod munus iniuncturus es: seu me calente sole
Plantas nouellas fluminis mandas rigare lymphæ
Seu iungere ulmos uitibus, uel summa coniugare
Cacumina, & siluæ uelut lasciuiam uirentis
Ferro domare, inutiles ramos & amputare,

Vel

Vel quicquid est, quo proximum licet iuuare, mecq;
Præbere gratum pro bonis manu datis benigna:
Vt præmium cum cæteris queam tui fauoris,
Sedes beatas atq; regna æterna possidere.

ODA III.

Monocolos. Versus Hipponactij iambici trimetri acatalecti scazontes, facti ex iambis, uel ex imparibus spondeis, ut trimetri Archilochij: sed seruantes loco ultimo spondeum, duobus iambis semper ipsum antecedentib. Hoc genere uetustissimi quasi hostili telo cõtra aduersarios usi sunt.

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Vt res aduersas, exemplo Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, excelso animo uincamus.

AT inter hostes & minas agit ferri "
Intacta uirtus, nec cadente Orione "
Pallet, Sicani prensa fluctibus saxi.
Ante ora spectat uincla, nec statu mentis
Interritæ mouetur, aut iacet supplex,
Cæcoq; clausa carcere, & nigro noctis,
Vel purius refulget hesperi luce.
Prægnans laborum, fortibus dat illustres
Viris triumphos: ac ferens decus palmæ,
Radicem amaram flore temperat læto.
Princeps tropæa rara ponit ignauus,
Homoq; nullo exercitus malo torpet.
Sudoris expers & periculi uirtus,
Nec à uiris, nec in triremibus famam

Merce

Meretur: at quod cum labore perfectum est,
Eius uiget perenne & inclitum nomen.
Quid non acerbi fortis ille luctator
Tulit Iacobus, tela dum fugit fratris,
Queritq; sedes anxius peregrinas?
Annoculiq; lustra bis duo seruus,
Fructum laboris sæpe postulat frustra.
Dulcis necem Rachelis, atq; Deboræ,
Raptumq; Beniaminis, orbitatemq;
Chari Iosephi, mente qua putas hausit?
Nonne infideles Sichemis datas dextras,
Tot innocentes sense delitos? nonne
Dinam stupratam, & ingredi patris uiui
Ausum thoros Rubena: mortui Iudam
Nati: nurum hic, nouercam ut ille spurcarat:
Aures seniles uulnerasse credendum est?
Aeuo trementem uix gradum ferens, terra
Deo iubetur cedere è Palæstina.
Nec est minora passus Isai natus,
Qui bis petitus lancea, exijt telum,
Quiq; exul hosti credidit Gethæo se.
Saulem, Goliam, Achitophelum, Doegumq;,
Et Absolonem cum Siba, Semeiaq;,
Vnus tot hostes sustinens, & à plebe
Saxis petitus, à Gigante romphæa.
Quanto sacerdotum dolore percepit
Cædem? suorum quo tulit luem planctu,
Grassante peste? quàm molesta nati mors
Fuit tenelli, tàm dolendus incestus,
Cladesq; mox secuta turpis Ammonis.

Plane

Plangens gemensq; perfido pios fletus
Dat Absoloni: neu ueniret ad canæ
Lætus senectæ limen, extitit causa
Noui tumultus contumax Adonias.
Non ulla Paule te chelys satis cantet,
Si sentiat tot plectra, quot trahit Cydnus
Claro lapillos alueo. fugas ex his
Specta locis in illa, tam uagus nemo.
Specta pericla, nemo plura tellure
Tulit, mariq;. quid? docendo quàm duri
Vicit molestias laboris in tota
Vita inquietus? carceres quis & uincla
Canat per omnes orbis inde & hinc partes?
Cædentium sunt sæpius manus lassæ,
Quàm lassa Pauli terga, ferre pro Christo
Plagas. nec illum saxeus potest imber,
Nec horridus Neronis ensis, à mentis
Altæ statu mouere: sponte se præbens
Accepit ictus, uultu & ore placato
Flaui rigat cruore Tibridis ripam.
Resistere autem qui cupit, preces illi
Dandæ perennes, atq; firmiter mens est
Leuanda ad astra. nempe dat Deus certam
Victoriam, tantum fide preces plena
Piæ ferantur. Impetrat fides quod uult.
Hoc ô pater supreme, & ô Deus uerax,
(Qui te colentes usq; ad inferos mittis,
Vt eleues ad alta: quisq; castigas
Bonos, thronis ut colloces honoratis)
Largire non mortale pectori donum,

Veram fidem, constantiamq; uictricem:
Et adde tantum quæsumus tuis robur,
Quantum tibi audent credere, ô Pater fide:
Vt cuncta Christi aduersa per tui mortem
Vincamus, atq; Spiritu sacro ducti,
Cursum beatam dirigamus ad uitam.

ODA IIII.

Monocolos. Versus Phrynichij Ionici Galliambici tetrametri acatalecti, ex pæone tertio, epitrito secundo, pæone tertio, pæone quarto, uel proceleusmatico. Hoc genus apud ueteres Latinos semel tantùm in Catullo legimus, & semel è recentioribus in Hymnis utitur eo Marullus.

⏑⏑–⏑ –⏑–– ⏑⏑–⏑ ⏑⏑⏑–

Vt ille nobis illucescat dies, qua post mortem sempiterna cum Deo felicitate fruamur.

QVid in his iacêre uinclis? quid in his fragilib. ac
Luteis dolere membris cupio? bona propria
Stolidè moratus, hoc prospiciens iterum animam
Decoratam honore, post mortem alio incipere loco
Meliore uiuere? haud secus ac rosa Syrio
Viridis resurgit horto, spoliata per hiemem
Foliis, odoreq;. ipso mihi dicere animus est
Vehemens cum Apostolo: Gestio, gestio positæ
Subitò cuolare mole: ardeo uisere patriam
Alio loco paratam. Quid enim est in hominibus
Sceleris, doli, laboris uacuum? stabile quid est
Perituro in orbe? nostris (miserum) quid operibus

Studijsq;

Studijsq; uanius? respice quæso uigilias
Sapientium uirorum, sola, sidera, maria
Penetrantium ingeni præceleris beneficio.
Subitos reuolue casus, sibi regna uel alias
Auidè expetentium res. reputa quoq; uariæ
Nimis, atq; inanis aulæ strepitus, odia, dolos,
Tumidamq; purpuram. colliga deniq; reliqua
Sua damna iuncta uitæ. quot enim mala soboles,
Quot adultera uxor, & non sibi fida familia
Cruciat, laborq; ludit? neq; pellere patitur
Rabidam famem, nec ex pauperie eripere, quasi
Adamante uincta colla. ut taceam innumera alia,
Quibus hinc & hinc, ut in naufragio ratis, agitur
Hominum caduca uita, & Zephyro dubia magis.
Nihil ergo cùm sit illis superùm simile opibus,
Neq; maior ulla lux corporis atq; piæ animæ,
Nisi quam fide paramus, moriendo capere Pater,
Cape uota te rogantium, ac rege nos, mare per ferum
Bene naui gando, portu ut subeamus, ea modo
Veniat dies citò, qua leuis in sua rediens
Cinis ipse membra, tandem ætheriam patrium habitet,
Videatq; conditoris preciosa bona sui.

ODA V.

Monocolos. Versus sunt Phalæcij hendecasyllabi trimetri brachycatalecti, e spondeo, dactylo, & trochæis tribus.

– – , – ∪ ∪ – ∪ – ∪ – ∪

De ueta Christianorum felicitate: & pro ea consequenda, precatio.

Summam quæ doceant salutis, hæc sunt,
Cunctis mente tenenda Christianis:
Veri cognitio Dei, suiq;,
Nostri debita, proximiq; cura,
Cor mundum, moderata lingua, castum
Os cum lumine, dextra liberalis,
Contenta exiguo suoq; uita,
Incorrupta fides, amorq; constans:
Mens non ebria rebus in secundis,
Nec depressa metu graui malorum,
Sed quam spes bona seruat, inq; rebus
In Christum facit omnibus tueri.
Hæc illa est sapientia ore summi
Patris tradita, filijq; uita.
Hanc nos ut teneamus, hanc sequamur
Omnes, effice Christe, disciplinam:
In quam tot modò sæuiunt Nerones,
Armatiq; furore Iuliani.
Sed tu terribiles minas proteruis
Eurois, Carpathijsq; da procellis.
Sic quando uituli aut ouis cruorem
Iam spargi placidis uetas in aris,
Nos uotis, precibusq;, cantibusq;,
Grati munera pectoris feremus.

ODA VI.

Dicolos tetrastrophos, carminis genere conueniens cum prima huius libri Oda, una tantùmmodò strophe detracta.

_∪ _∪ ∪_ ∪∪
_∪ _∪ ∪_ ∪∪ _
_∪ _∪ ∪_ ∪_
_∪ _∪ ∪_ ∪

Vt in cogitationibus ſanctis cum fide & conſtantia perſeueremus.

CVius auxilio malum
Omne uincimus, & iugum
Carnis excutimus graue,
Chriſte mitis adeſto.
Nam tuo ſine ſpiritu
Nulla lux animis ineſt:
Nec datur, niſi prælia
Te gerente, triumphus.
Sæpe propoſito in bono
Fixa mens, nec humi tenens
More lumina beſtiæ,
Alta cogitat, atq;
Ipſa ſe ſceleris ream
Odit, ac nimium dolet,
Non tuum minuiſſe ſe
Pœnitendo furorem.
Mox tamen uelut Africis
Prora Syrtibus incidens,
Eſt reſiſtere inefficax
Fluctuantibus undis,
Priſtinumq; relabitur,
Heu ſui immemor, in nefas:
Ac bonum ante oculos ſitum
Cæca noſcere neſcit.

Vnde tam glaciat citò
Pectoris calor igneus?
Vnde mentibus ingruunt
Tam repentè tenebræ?
Scilicet grauis horridi
Causa nota mali, nec ex
Proprijs homo uiribus
Recta perficit unquam.
Omnis æthere gratia
Per fidem datur, ac preces
Ad Deum aßiduas, pio
Corde quas homo fundit.
Atq; cùm placido uoces
Ore nos bonus, & tuam
Impigrè iubeas opem
Christe poscere cunctos:
Ergo confugientibus
Nunc ad auxilium tuum,
In bonis ßabilem precor
Semper adijce mentem.
Nec ßne in facinus trahi,
Prona ah ah nimis in malum
Corda, deq; ßatu bono
Deijci ßatanæ aßu.
Luceat pedibus meis
Fax ßacri bona Spiritus:
Et regens animum meum,
Integrum tibi ßeruet.
Vt ßatim fore peßulus
Cedat, optime cùm tuo

Fortè pectoris oſtium
Chriſte numine pulſas,

ODA VII.

Monocolos. Verſus Antiſpaſtici Angelici, ut Diomedes appellauit, acatalecti, ex epitrito quarto, uel ditrochæo, iambis duobus, trochæis duobus, amphibrachy uel bacchio conſtantes. Hoc genus in Catullianis eſt, atque rariſsimis.

⏑–⏑– ⏑– ⏑– –⏑ –⏑ ⏑–⏑

⏑––⏑ ⏑– ⏑– –⏑ ⏑– ⏑––

Aſtantis baptiſmo pueri infantis, precatio.

TE rogo Pater, atq; te Nate, teq; ab utroq;
Qui procedis, utriq; coniuncte, Spiritus alme,
(Namq; huic nunc puero, ſacri qui renaſcitur unda
Baptiſmi, numeroq; cœleſtium ſociatur,
Nomen militiæ ſacræ dans, facillimus afflas,
Et foues triplici poteſtate nos Deus unus)
Quæſo da mihi, ſæpius mente uoluere facti
Iura fœderis, & fidem quam ſpopondit amicus,
Non ulla uiolare culpa, nec in uetita hoſtis
Caſtra currere transfugam: nec bonumq; piumq;
Linquentem Dominum, ſequi ſponte ſigna tyranni,
Vexillum aſpiciens crucis, fulgida acer ut arma
Pugnando quatiam, & fide charitateq; ſpeq;
Firmus, non timidè per hoſtes ruam truculentos.
Ne triſtem metuã necem, aut quidquid uſq; malorũ eſt,
Horreſcam: ut rude doner, & ueſte purus in alba,
Quæ certet niue Sionis, quæq; lacte recenti,

Qualem fontis aqua renato induit mihi mystes,
Cœlestes adeam domos, atq; lucida regna,
Et promam meritas Deo uoce perpete grates.

ODA VIII.

Monocolos tetrastrophos. Versus Anapæstici trimetri hypercatalecti, Parthenij facti è trib. anapæstis, & syllaba communi: uel (si heroici dimensionem sequimur) è syllaba longa, uel duabus breuibus, dactylo uel spondeo, dactylo, spondeo, qui pedes heptamimerim heroicam efficiunt. Quæ nunc sequuntur genera, ad finem usq; libri huius, sunt Aurelij Prudentij, qui primus suam lyram ad laudes Dei omnipotētis, & martyrum sanctorum præconia adhibuit.

⏑⏑– ⏑⏑– ⏑⏑– –
– –⏑⏑ –⏑⏑ ––
– –– –– –⏑⏑ ––
–⏑⏑ –– ⏑⏑– ⏑

Sumentis corpus, & bibentis sanguinem Domini, oratio.

SI corpora nostra lauamus,
Gemmisq; ornamus & auro,
Cùm splendida forsan amici
Domus est adeunda potentis:
Quo mentis honore, quibusq;
Ornatibus atq; paratu,
Epulas cœlestibus ipsis
Venerandas cultus adibo?
Tunc mens ornata placensq;,
Cùm pressa grauamine multo,

In ſolo quærit & uno
Chriſto ueniam atq; fauorem.
En porrigit ipſe, iubetq;
(Quid ſumere tarde recuſas?)
Partitum mandere panem,
Pateramq; haurire cruoris.
Tribuens hoc fœderis inſtar,
Corpus reddamur ut unum:
Genitor ceu diues & amplus
Natis bona parta relinquit.
Idem qui dulcia manna
Populis largitus Ebræis:
Qui dura è rupe dediſti
Gratas ſitientibus undas:
Sis nobis Chriſte, rogamus,
Tu potus & eſca ſalutis:
Humanos ſanguine delens,
Inopum miſerate, reatus.
Da cor pietatis amore
Flagrans, peccato inimicum,
Sanctiq; & labe carentes
Veniant in pectora motus.
Ita mens mea diligat omnes,
Alijs ſeruire parata,
Pendens cruce ſicut in alta
Immundam Chriſte piaſti.
Abſit tremor omnis & horror,
Si uultus forte tyranni
Inſtet, iubeatq; tenaci
Rigidum decedere mente.

Hæc qui per ſacra fidemq;
Habitat penetralia cordis,
Meus eſt quoq; factus, & ille
Pars noſtri corporis idem.
Quæ cùm benefacta recordor,
Menſq; inflammata coegit,
Me corporis atq; cruoris
Epulas guſtare ſalubres:
Te tempore laudibus omni
Cantem, uenererq;, colamq;:
Et per quam parta ſalus eſt,
Mortem contempler acerbam.

ODA IX.

Monocolos tetraſtrophos. Verſus Archilochij iambici dimetri acatalecti, de quorum compoſitione libro primo ſatis dictum. Vſitati maximè ſunt in hymnis Eccleſiaſticis.

— ∪ — ∪ — ∪ —
— ∪ — — ∪ —
— ∪ — — ∪ —
∪ — ∪ — ∪ — ∪ —

Pro doctrinæ cœleſtis conſeruatione, & eius profitendæ conſtantia.

O Chriſte, rector optime,
Verbum Patris, fili Dei,
Nunquam querelis ſupplicum,
Pijſq; ſurde uocibus:
Quam protuliſti de ſinu
Parentis, antè incognitam

Doctri-

Doctrinam, & hoc miserrimo
Tuere puram tempore.
Laudet tuum nomen quoq;
Ventura mox ætas: gregem
Mortem in tuam salubribus
Aquis nouatum respice.
Vt es, tuæ caput mane
Tu sole Christe Ecclesiæ,
Qui de pependisti cruce,
Vnus salutis auctor es.
Cur hanc salutis semitam
Fœdo Babali dedita
Turba obstruit? contraria
Christo obtinens iam nomina?
Hæc mortuorum mortua
Peti probat suffragia.
Hæc sacra conculcans, tuum est
Furata templis poculum.
Præfert pudicæ coniugis
Impura Dalilæ oscula:
Et conditos Deo cibos
Aut uendit, aut sumi uetat.
Cerne in tuis subsellijs
Quali renidet purpura?
Ecclesiæq; pauperi
Donata deuorat bona.
Hanc ante compta Herodias
Ducit choream, eheu tuis
(Vides id ipse, & sustines?)
Monstrum ministris horridum.

O Chris

O Christe ineuitabilis
Iudex futuri seculi,
Per te necem, per te tua
Christe obsecramus uulnera:
Immitte nobis fortia,
Hos stare contra, pectora,
Et blanda posse subdolæ
Venena linguæ noscere.
Ne nos eorum terreant
Voces, malum minantium:
Neu lubrica aspici nimis
Superba saltatrix trahat.
Hæc est, capit quæ callido
Fucata uultu Hypocrisis,
Quæ docta mobiles choros,
Se mille gyrat flexibus.
Modò ad potentum accommodat
Verbum tuum ludibria:
Modò retractat quod prius
Dictum asserebat cœlitus.
Tu solus heroas facis,
Tu solus acres spiritus
Das Christe. nam mortalium
Nil audet imbecillitas.
Tu solus improbum lupum
Arces pijs ouilibus.
Tu solus ungue uulturis
Mitem columbam liberas.

ODA X.

Monocolos. Versus Archilochij trochaici octo metri

metri catalecti. Imparibus locis solum habent trochæum, paribus uerò uel trochæũ uel spondeum: extremam syllabam abundantem, communem.

⏑– ⏑– ⏑– ⏑– ⏑– ⏑– ⏑– –

⏑– ––– ⏑– ––– ⏑– ––– ⏑– –

Vt corruptum temporum statum emendet Deus, & in meliorem reducat.

TAnge plectrũ Musa, carmen ut sonemus flebile,
Vtq; lamentemur orbis iam senescentis mala.
Ecce Christus excitauit cœlitùs diem suum,
Regna Patris ut per orbis uniuersi circulum
Panderet, suaq; sparsum uoce cogeret gregem,
Quem sibi mundi ante lẽgit conditi primordia.
Sed suæ quando saluti (triste) pertinacius
Obstiterunt Christiana iactitantes nomina?
Qui sedent Apostolorum grandibus subsellijs,
In tenebris ambulantes, cæteris lucem negant,
Et uelut Molossus ante mutus excubat fores:
Sic lupo ipsi sæuiente, soluere ora nesciunt.
Pro Deo Deiq; uerbo uana dormientium
Somnia admirantur, atq; seruiunt uentri suo,
Omniumq; diffluunt libidinum lasciuia,
Membra Christi persequentes ense, flãmis, flumine.
Noxijs eos sequuntur principes uestigijs,
Qui uelut nepos Iessæ, perditi luxu colunt
Sidonis deam, & Segestæ, teq; Thebarum patrem,
In popinis, in choreis, in ferarum saltibus
Vera inesse existimantes pectorum solatia,

De

De Deo nil cogitando, sceptra qui rerum dedit,
Quiq; credidit suorum uitam opesq; pauperum,
Non tyrannos esse mandat, sed parentes & duces.
Disciplinam uulgus odit, atq; legum uincula
Spernit, artibusq; uiuit deditum turpissimis.
Impios amare cultus, & sequi idololatras,
In Deum cœli, proterue dicere in Christi crucem,
Sabbathumq; polluisse, pœne ludus factus est.
Spreta charitas parentum, tincta cæde dextera,
Et fides thori soluta, cum dolis calumniæ,
Prauus omnis appetitus, iam merentur præmia.
Hæc adhuc lentus sereno Christe cernis lumine,
Ne statim perdas, sed ut des pœnitentiæ locum.
Cum sit ergo munus illud proprium ac dignũ Deo,
Esse saluos uelle cunctos, & reis ignoscere:
Flecte corda quæso mitis omnium mortalium,
Vt tuo uerbo relictis par[illegible]it mendacijs,
Nouerint ut se suiq; dignitatem muneris,
Et Deum uere dolentes corde & ore mitigent.
Ventre Ionas in balenæ fleuit, & precatus est:
Audiunt David Achabq; uerba se monentium,
Effugitq; mortem uterq;: flexit & Ninos Deum.
Sint sacerdotes pij, sint ueri amantes principes,
Et sequatur uulgus ipsos, iusta ne nos opprimat
Ira uindictæ supernæ. floreat regnum tuum,
Et reduc tibi placentem temporis læti statum,
Vt uocentur dura [illegible]erri priscum in aurum tempora.

ODA XI.

Monocolos. Versus Glyconij Choriambici tri metri acatalecti, ex spondeo, choriambo, & iambo uel

so uel pyrrhichio, qualis est quartus Odæ quartæ libri primi.

— — ∪∪ — ∪∪

Ne in res caducas intenti, bona uera & immortalia perdamus.

Felicem ter & amplius,
Qui cœlestia cogitat,
Nec mortale nimis sapit.
Nam dum uiuimus, atq; mens
Cæco carcere clauditur,
Hæc crates lutea impedit,
Ad cœlum, unde genus trahit,
Pura & libera ne uolet.
Vitæ cura fugacis, &
Ardor non licita appetens,
Et largæ studium rei,
Imis uisceribus latent.
Dum menses q; dies q; eunt,
Annis & noua singulis
Incumbit scelerum cohors:
Dulces illecebras item
Et uitæ uarios iocos,
Paupertas, dolor, & pauor,
Et mentis mala gaudia
Turbant: morbus, & orbitas,
Et durum crucians labor,
Ver carpunt breue corporis.
Quid prodest, graue Lydij
Auri pondus, & arua si

Proſcindant Calabri boues?
Quid ſi Gadibus Africa
Adiungatur, odoraq;
Stillent arbore balſama?
Linquenda iſta nepotibus
Ingratis, neq; conferunt
Ad uitæ requiem; neq;
Mortis tela refringere,
Aut ſaxum tumuli ualent.
Nudos prima uidet dies,
Nudos auferet ultima.
Nunquid Sauliadem fides
Texit? num ſapientia
Pulchrum Berſabeæ genus?
Non laudata ſcientia,
Nec uirtus nece liberat.
Iuſſu uina patris fugit,
Recchabi domus inclita:
Tandem ducere cogitur
Mortis pocula luridæ.
Omnes ſcilicet ibimus,
Certi de nece, de die
Incerti, tamen ibimus.
Nam quo naſcimur à die,
Ad mortem properamus, &
Cunctis ſcribitur una lex.
Da Chriſte, omnipotens Deus,
Vt ſic omnis agat caro
Aeui tempora lubrici:
Ne dum ſpem ſequitur leuem,

Amittat

Amittat bona cœlitum.
Nil nos abstrahat inscios,
Aut fallat specie boni
Incautos: animus quoq;
Momentis putet omnibus,
Quàm sit uita fugax, dies
Mortali ut nimium breues.
Et tu conditionibus
Vitri, quod citò frangitur,
Custodi, rege, sustine.
Nam nos progenies tua
In uita sumus, & nece.

ODA XII.

Monocolos tetrastrophos. Versus Anacreontei iambici dimetri catalecti, ex iambo uel spondeo, iambis duobus, syllaba una communi.

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏑ – ⏑ – ⏑ – –
– – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– – ⏑ – ⏑ – –

Vt in uia ueritatis, spiritu sancto duce, maneamus & conseruemur.

VOtis meis adesto,
Qui conditum ante mundum,
Chaos super profundum
Sacro impetu uolasti.
Quæ sit Patris uoluntas,
Quod certum iter salutis,

Ex intimis medullis
Mens scire concupiscit,
Si rectus ambulaui,
Et imperata feci,
Ductum & tuum secutus
Veri quid apprehendi:
Fac ardor augeatur
Cœlestis ille, néue
Vanescat auolantes
Elatus in fauillas.
Sin deuians malignas
Iui uias, & eheu
Pro ueritate falsum
Deceptus approbaui:
Monstrans iter relictum,
Cor instrue atq; forma,
Inscitiæq; tetras
Procul fuga tenebras.

ODA XIII.

Tricolos tristrophos. Versus omnes sunt choriambici acatalecti. Primus Glyconius trimeter, secundus Asclepiadeus tetrameter, è quibus libri primi Oda quarta constitit. Tertius Callimachius pentameter, è spondeo, choriambis tribus, iambo uel pyrrhichio.

– – ⏑⏑– ⏑⏑
– – ⏑⏑– ⏑⏑– ⏑⏑
– – ⏑⏑– ⏑⏑– ⏑⏑– ⏑⏑

Vt Deus pœnas de Turca sumens, exemplum orbi terrarum statuat suæ iusticiæ atq; potentiæ. Lum

Iam uox deficit, & ſuo
Non lingua officio fungitur amplius,
Torpent corda malis, & lacrymas dat dolor aridus.
Audi ſumme pater Deus,
Cui cœlum domus eſt, terraq; ſubiacet,
Cuius nemo manus terribiles uindicis effugit.
Tandem extolle oculos pios,
Vt cernas populi triſte iugum tui:
Expergiſcere, nec relliquias hoſtibus obiice.
Nam quantum Libya excitat
Ventus pulueris, en tot gladios Athos
Stringit, tot uolucres mittit equos, tot Rhodope uiros.
Tellus mota tremit pedum
Pulſu, cornua nunc & litui ſtrepunt,
Et trux ira faces in medios conijcit ignes.
Lunæ fulget in agmine
Cornu, ſigna uolant Thracia lanceis,
Bellumq; Iſmarijs dira manus mentibus inferunt.
Dux ipſe æneus æncum
Currum immanis agit, nec timet in Deum
Te noſtrum abſq; modo uerba furens impia dicere.
Hunc curru, Antiochum uelut,
Deturba, & ſatia uiſceribus canes,
Vtq; Eglona grauem præualida tranſige dextera:
Euxino pereat freto,
Vt Memphis pelago nigra perit rubro:
Aut caſtris tumidus fœminea nocte cadat manu.
Sic in fruſta ſecetur, ut
Cultorum ipſe ferus membra ſecat Dei,
Vt regem Helcanides dilaniat ferro Amalechtiden.

Huius, Sennacheribis ut,
Nocturnas gladio percute copias,
Ferrataq́; rotæ tracta uijs corpora transeant.
Si cui parta fuga est salus,
Murorum intereat pressus ab aggere,
Vt seruata Syri conciderunt agmina principis.
Aut si cui manus hostium
Captiuo indiderit uincula, de iugo
Montis præcipitetur, Seyri ut contigit accolis.
Hostes nominis ut tui
Diuinam trepident usq; potentiam,
Edoctiq; sciant quæ mala des regibus impijs.
Et ne quis tibi dedito
Insultet populo, qui facit irrita
Nunquam uota, modò non dubio pectore flagitet.

ODA XIIII.

Monocolos tetrastrophos. Versus Alcmanii, qui & Phalisci, dactylici trimetri hypercatalecti, ex heptamimeri heroica: hoc est, dactylis tribus, & superflua syllaba communi.

– ∪∪ – ∪∪ – ∪∪ –
– ∪∪ – ∪∪ – ∪∪ –
– ∪∪ – ∪∪ – ∪∪ –
– ∪∪ – ∪∪ – ∪∪ –

Quòd amissum salutis & dignitatis gradum Christus sua morte generi humano restituerit, gratiarum actio.

QVis tua munera magne Deus
Diceret? quis numerare ualet

Cri-

Crimina noſtra, quibus meriti
Interitumq́; necemq́; ſumus?
Quæ bona primus habebat Adam
Culta tenens, dominusq́; loci
Pomiferentis, & imperio
Cuncta regens animata ſuo?
Sed ſubitò deus eſſe cupit,
Heu mihi, quod fuit antè lutum.
Noſcere uult bona, uultq́; mala,
Flere, queri, lacrymare, mori.
Parce precor ſcelerare manus,
O' homo, nec nimis alta ſapi:
Omnis enim, niſi iuſſa facis,
Poſteritas tua facta luet.
Cur agitas noua conſilia?
Ecce ſuperbia tollet atrox
Hæc ea quæ tibi, quæq́; tuæ
Dat bona, candida ſimplicitas.
Antè ſoli dominator eras:
Si ſitis, aut erat orta fames,
Innocuas tibi ſilua dapes,
Innocuam dabat hortus aquam.
Mox tamen exul, egenus, inops
Quærere cogeris orbe caſam,
Graminaq́; & frutices minuens,
Exiguo coquis igne cibum.
Dumq́; in agris alimenta paras,
Sæpe per arida membra madens
Sudor ijt: neq; cura die
Defuit, aut tibi nocte dolor

Quæ ſocio cubat Eua thoro,
Arbore noxia mala tulit.
Sollicitat tua corda Cain,
Promptus ad arma cruenta puer.
Fonte aliquo uelut unda fluit,
Creſcit & amne ſubinde nouo:
Sic miſeris tua culpa fuit
Cauſa mali, ſcelerumq; mare.
Hæc ſupera Pater arce uidens,
Seminis in genus ætherei
Non tulit anguigenas facies
Sceptra tenere ſuperba diu.
Becq; ſatum, pariterq; Deum
Corpore ueſtit, & eſſe iubet
Verbum hominem, bone Chriſte tuũ
Omnia ſubijciens pedibus.
Cum trabe celſus in arborea,
Atq; latrone tenente latus,
Crimina noſtra cruore pia,
Altaq; pandis ad aſtra uiam.
Ecce patet Paradiſiacum,
Culpa quod ante ſerarat, iter:
Iam nemus illud adire licet,
Quod draco ſæuus ademit Adæ.
Nunc coluber tibi uicte caput
Virginis atterit ille puer,
Stirpe creatus ab Iſacida,
Rex populi dominusq; ſui.
Pallida mors iacet ante pedes,
Anguis & infera regna gemunt:

Mitior

Mitior est grauis ira Patris,
Imperium in cruce Christus habet.
Hæc etiam superata mihi,
Exitiumq; malumq; dare
Iam nequeunt: quia Christe tuo
Noxia sunt minus auspicio.
Corpore dum mihi sensus inest,
Te mea uox sine fine canat:
Seu nequit eruta lingua loqui,
Cor tamen hæc benefacta sonet.

ODA XV.

Dicolos distrophos. Primus uersus Archilochius, mixtus ex Bucolico tetrametro, & trochaico dimetro brachycatalecto, qualis primus Libri primi Oda prima. Alter Hipponactius iambicus, cuius generis etiam ultimus Odæ octauæ Libri eiusdem.

⏑–⏑⏑ –⏑⏑ –– –⏑⏑ –⏑ –⏑ –⏑
–– ⏑– –– ⏑– ⏑– ⏑

Vt amicorum merita, quibus pares esse ipsi non possumus, in cœlis reponat Deus.

Christe parẽs aperi præcordia clausa, mẽtiumq;
Sinus tenebris horridis opertos,
Vt bene qui faciant, & qui bene consulant, amicos
Noscam, malorum in tam frequente turba.
Sæpe quod esse putas fidum, tacitè nocet, latentq;
Sub flore Hymetti Colchidis liquores.
Hoc in amicitijs contingere, uita nostra testis,
Periculisq; scimus eruditi.

Da precor ut fugiam, qui sunt fugiendi: & impiorum
Ne miscear gregi, insciensq; peccem.
Da quoq;, qui memores fecére sui, merendo pulchrè,
Colam perenni amemq; charitate.
Qui sua consilia in rebus mihi fida turbulentis
Impertiêre candidi, nec unquam
Deseruêre malis pressum, neque sunt manere passi
Errore in ullo mentis atq; morum.
Qui tenerum monuerunt, quiq; ferocia tumentes
Fregêre stulti pectoris calores.
Quasq; uices nequeo persoluere tam pijs amicis,
Tu Christe celsi redde in arce cœli.

ODA XVI.

Monocolos tetrastrophos. Versus sunt Alcmanii, uel (ut alii annotarunt) Alcaici dactylici acatalecti, facti ex pentemimeri iambica, dactylis duobus, uel propter extremam syllabam communem, ultimo eretico.

– – ∪ – – – ∪ ∪ – ∪ ∪
– – ∪ – – – ∪ ∪ – ∪ ∪
– – ∪ – – – ∪ ∪ – ∪ –
– – ∪ – – – ∪ ∪ – ∪ –

Impositam unicuiq; afflictionem, eamq; ut animo forti & magno feramus.

„ Non ulla sic est certa serenitas,
„ Quam non procellosi inter, eant dies:
Sic parte ab omni nemo beatus est,
Qui non malorum casu aliquo ingemat.

Supre-

Supremi enim quam progenies Dei
Tergo innocenti sustinuit crucem:
Hanc ille eandem, pondere non tamen
Aequali, amicis imposuit suis.
Prudens ut auri uim probat artifex,
Fornace quando uersat, & ignibus:
Sic quos paterno pectore diligit,
Purgat, malorumq; igne probat Deus.
Non sic Auerno proxima littori
Ora ardet, aut sic oppositum inclitæ
Sirenis urbi Vesuuij caput,
Ambobus aut his Aetna furentior:
Nostris ut ardent uisceribus, dolor,
Curæ sequaces, & trepidus metus,
Non obsequentes liberi, & improbæ
Coniunx, amicorumq; fides leuis.
Morbisq; quando corpora languidis
Torquemur, & rerum barathrum omnium
Venter laborat, uixq; humili sinit
Vitam enecatam efflare domuncula.
Quid damnum honestatis memorem graue,
Raptos honores, exilium, fugas,
Armisq; adempta hostilibus omnia?
Quid seruitutis uincula ferreæ?
Hæc præter, in nos fulmina cœlitus
Pugnant, procacesq; æquoribus noti,
Sæuæq; siluis membra trahunt feræ,
Imumq; motu concutitur solum.
His ad probandas uteris ignibus
Mentes tuorum, ut cognita plurimis

Virtus malis, & ſub cruce ſtans tua,
Lumen coruſcum clarius efferat.
Maiora noſtris ſed Pater optime
Ne pone quæſo pondera uiribus:
Aut ſi quod incumbit grauius malum,
Clemens paterno præſidio alleua.
Si ſtant tui immortalia filij
Promiſſa nobis: at prius in chaos
Orbis redibit, quàm leuem in aera
Cœleſtis oris uox fluat irrita.

ODA XVII.

Dicolos diſtrophos. Verſus iambici catalecti. Primus Hipponactius trimeter, ſecundus Euripideus dimeter, è puris iambis compoſiti.

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

Quid à Deo auctor petat, quid'ue petendum cenſeat.

Quid aruа ſunt Calabriæ feracis,
Quid Hybla, quídue Hymettus?
Quid eſt Eoa concha, quid Sabæi
Odora uirga thuris?
Quid aureas agens Iberus undas?
Quid eſt Phrahatis aula?
Vt à Deo iſta flagitem roganda,
Et impleam aſtra uotis?
Agrum metas, cui Deus metendum
Dedit, legasq́; mella.
Ad Herculis lucrum petens columnas,
Solo mariq́; curras,

Vt ambules decorus ostro & auro,
Manu ut potente sceptrum
Geras, bibasq; gemmeis Falernum,
Age inquietus æuum.
Sit innocens mihi, latensq; uita,
Doli inscia & timoris,
Beata copijs suis, honestè
Et absq; fraude partis.
Et ut laboribus queam, datisq;
Negotijs præesse,
Lues molesta, corporisq; longi
Eant procul dolores.
Quies meæ modusq; sit senectæ,
Laris domus paterni:
Amicus inde sit fidelis unus
Et alter, in secunda
Malaq; re, status leuamen omnis.
Niue albicante fronte,
Fruar laboribus meis, iuuentam
Videns bene institutam.
Serena stella fulgeat, supremum
Diem uehente fato,
Vt expeditus hinc eam, inq; Christo
Necis seuera uincam.
Hoc in fideq; speq; supplicanti
Pater benigne præbe:
Et imperita mens, uetante carne,
Nequit quod intueri,
Hoc adde sponte. nam tui, quod usquam est,
Fauoris, omne munus.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS ODArum Liber III.

AD DEVM OMNIpotentem.

ODA I.

Dicolos tetraſtrophos. Primi duo uerſus Alcaici choriambici acatalecti, ex iambo, bacchio, choriambo, iambo uel pyrrhichio. Poſtremi duo Phalecratij heroici trimetri hypercatalecti, ex heptamimeri heroica, hoc eſt, ex tribus pedibus hexametri, & ſemipede. Quæ ſequuntur genera, Boethij ſunt, & aliorum.

⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ –
⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ – ⏑ –
– – – ⏑ ⏑ – –
– – – ⏑ ⏑ – ⏑

Precibus à Deo per Chriſtum omnia impetrari.

„ DAturus aris munera, ſeu preces,
„ Et ante ſummi ſtans oculos Dei,
Mox quicquid fellis amaro
Circunfers pectore, pone.
Tibi ne ſperas, ac precibus tuis
Deum futurum propitium, aut bonum,
Si nunquam crimina lapſo &
Erranti ſponte remittis?

Remit-

Remittis autem, tum potes ad Deum
Adire liber: non is in aera
Dispergetuota, sed aurem
Vltrò inclinabit apertam.
Nec hæsites hic, si minus esse te
Videbis aptum. non ea dignitas
In nobis ritè rogandi,
Sed cœlo mittitur alto.
At ille rerum conditor omnium,
Et inferorum cum superis potens,
Qui solus damnat, & unus
Rectis dat præmia factis:
Imago cuius, uirginis in sinu
Quieuit, & terras coluit caro,
Qui per spirabile numen
Se diues fundit in omnes:
Preces repellit, quas uacuus fide,
Et hæsitanti pectore murmuras,
Tum festis dona nocentum
Iratus submouet aris.
Pete ergo fortis: quidquid homo petet,
Id impetrabit nomine Filij,
Qui culpam ante ora Parentis
Humanam morte refutat.
Hic ille nos, qui sponte uocat Deus,
Trahitq; dictis dulcibus: obuijs
Qui non dubitanter adorant,
Nullos non excipit ulnis.
Domo quis arcet Lamechidi necem,
In obruti iam fluctibus orbis? &

Pelusi

Pelusi rege sequente,
Quis Mosen seruat ab undis?
Quibus Philistæ uiribus occidunt,
Bis irrigantes sanguine puluerem?
Quos uomer, malaq; fregit
Tardè incedentis aselli.
Preces tonantem conciliant Deum,
Leuantq; pœnæ promeritæ malum,
Auertunt bella, famemq;,
Et pestem dira minantem.
Verè gementem de Babylonio
Preces Manassem carcere liberant:
Et regi tristè querenti
Producunt tempora uitæ.
Quòd imminentis barbara Turcicæ
Pressere nondum tela tyrannidis:
Paucorum nocte dieq;
Euincunt uota bonorum.
Pater tuum per maxime filium
Adesto nobis: cordibus utq; te,
Non lingua atq; ore rogemus
Tantùm, ô mitissime præsta.
Repelle præsentis mala temporis:
Vel illa, commotus prece, mitiga.
Mentisq; ostende paternæ.
In iusto signa furore

ODA II.

Dicolos distrophos. Primus uersus heroicus hexameter, satis ex superiorib. notus. Alter Alcmanicus dactylicus acatalectus, ex tetrametro Bucolico,

eolico, ad dactylos admittens omnib. in locis spondeum indistincte. Constat autem ex initialibus quatuor pedibus hexametri: ut ex finalibus, qui mox sequentur in Oda quarta.

-vv -- -- -- -vv --
-- -vv -vv -vv

Ad tollendam pectorum humanorum de promissis diuinis dubitationem.

Qvi cupit optatas lætus decerpere messes,
Et distendere frugibus horrea:
Ille rubos, sterilesq; extirpat falcibus herbas,
Alituumq; greges fugat improbos.
Qui uult ad cœli superas se attollere sedes,
Cumq; Deo sacra uerba loqui cupit:
Abijciat pauidæ quæcunq; obstacula menti
Horror peccati incutit, aut pudor:
Accedatq; fide plenus, precibusq; fatiget
Nunquam polliciti immemorem Deum.
Cuius promissis alacres, & uoce uocati,
Ora quidem nunc libera soluimus.
O Pater, & patrio ueniens spiramen ab ore,
Compar cum Christo, & Deus unice:
Nempe Deo genitus Deus, atq; ab utroq; coruscans,
Verum intus speculum, & speculum foris.
Excute de fragili tenebrosa obliuia corde,
Et caliganti da sensui
Lumen ut intentè promissum spectet in omne,
Iurantisq; habeat rata fœdera.

Namq;

Namq; ferè hærentes incredula turba uagamur,
Acta ut pluma furente uolat noto.
Dumq; tibi timidè confidimus (ô scelus ingens)
Mendacem arguimus uocem tuam:
Qua tu propositiq; tenax, ueriusq; bonusq;,
Et pulsare iubes, & poscere,
Nec finis orantes ullam à te ferre repulsam,
Opponisq; adeuntibus obicem.
Quòd si etiam capiant genitricem obliuia nati,
Quem tenerum uentre atq; sinu tulit:
Tu tamen excipies desertum, ulnisq; fouebis,
Non fallax spes rebus in ultimis.
Testis Niliacæ partus miser ille, repellit
Quem Saræ grauis ira penatibus.
Et dubitamus adhuc te uelle audire querentes,
Quorum uota intelligis antè, quàm
Formet lingua sonum, tenuesq; ferantur in auras
Compressi suspiria pectoris.
Terrores quantos uiden' illætabile bellum,
Et discordia flebilis inferant.
Pugnat ab aurora Thrax impius, instat ab austro
Corporibusq; animisq; ferox malum.
In nostrisq; habitant non pauci mœnibus hostes,
Hostes Christe tui quoq; sanguinis.
Quid tamen ira canum posit, rabiesq; luporum,
Quid fraus illa domestica uulpium
Te contra? quem terra tremit, cœliq; uerentur,
Quem metuit uis horrida Tartari:
Qui nobis Deus es, placidas qui uocibus aures
Præbes, inq; sinu patrio geris;

Hostis

Hostibus at nostris hostis, quos ignibus Orci,
Atq; inimico perdes fulmine.
Talia facta breui cernent, tantosq; triumphos,
Qui toto credunt animo tibi.
Qui uerò dubitant, cæcis & mentibus hærent,
Dextra illos tua corripiet simul:
In quorum numero ne simus, perfice Christe,
Accensam inq; tuis auge fidem.

ODA III.

Monocolos tetrastrophos Versus trochaici Ithyphallici dimetri brachycatalecti, è tribus trochæis, admisso in ultimum locum spondeo.



Vt discamus omnia nostra Deo committere.

Hvc ades supremi
Filius Tonantis,
Virginisq; partus
Vnicus puellæ.
Vota nostra ab imo
Corde mitis audi:
Ac tibi, benignus
Esto, supplicanti.
Da, tibi salutem,
Corpus atq; uitam,

Quidquid & mearum
Est opum, omne credam.
Ne tumultuosis
Fluctuet cor ausis.
Neu bona quid intus
Pugnet instituto.
Cur fides repente,
Vt restinctus unda
Ignis exit, intus
Sic refrigeratur?
Tolle Christe mentis
Tolle nigricantes
Spiritu sacrato
Mobiles tenebras.
Nil enim miselli
Proprium tenemus,
Cuncta sunt superna
Dona largitatis.
Ergo sive servet
Illa, sive tollat,
Da tui canamus
Carmen hoc Iobi:
A Deo tributo
Si bono exilimus:
Quo probamur illi,
Cur malum timemus?
Nudus extrahebar
De parentis alvo:
Omniumq; egenus
Nudus hinc abibo.

Quæ Deus dedisti,
Tu quoq; abstulisti:
Tempus omne nomen
Sit Dei celebre.

ODA IIII.

Monocolos. Versus Archilochij tetrametri acatalecti, ex quatuor finalibus heroici pedibus, qualis est Epodicus Libri primi, Oda quintadecima.

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– – – – ⏑ – ⏑ –

Ad Deum conditorem, liberatorem, illustratorem generis humani.

Conditor ô Pater inclite rerum,
Cœli ponens cœrula templa,
Littore pontum, flumina ripis
Includens sermone, diemq;
Puro illustrans lumine solis,
Candidaq; addens cornua lunæ,
Qui rationis munere donas
Factum hominem, quiq; omne creat
Terræ subjicis, mq; supernos
Aetheris efficis ire meatus.
Qui terrarum regna gubernas
Legibus, idem sede tyrannos
Deturbas, ouiumq; magistro
Das gestandam fronte tiaram.
Hæc tu nulli incognita præstas,
Vt te noscat mundus, ametq;:
Et tibi iustis, quidquid ubiq; est,

Laudes grato concinat ore.
Nec contentus munere tanto,
Tu ſolio quoq; mitis ab alto,
Humanos miſerate labores,
Non mortalem funera natum
Ferre iubes mortalia Chriſtum.
Sic ut ſerpens æneus olim
Afflictis erectus Ebræis,
Intuitu calidum leuat hulcus,
Amiſſæ medicina ſalutis:
Haud ſecus alto ſtipite pendens,
Morbos aufert Chriſtus, & inter
Pignus nunc hominesq; Deumq;,
Ad dextram ſuper aſtra locatus
Aeterni patris: indę benignus
Iam patronus ſuſcipit ultrò
Oppreſſorum iura clientum,
Et ſpondet fidentibus ipſi
Perpetuæ ſolatia uitæ.
Hæc per ſacri numina flatus
Fida in noſtris dicta medullis
Inflammas, quæ non ſinit ipſe
In pelagus uel in aĉra ferri.
Sed nos prauos, inq; fideles,
Intus primo format ab ungue,
Vt nebula & caligine pulſa,
(Quæ noſtras heu plurima mentes
Cæco errorum tramite uerſat)
Luce noua reparet pia corda, &
Vere ardentes ſuſcitet ignes:

Quos

Quos non Ponti totius undæ
Extinguant, non ulla uirûm uis,
Non pluuij domet impetus austri,
Hæc nos grati amplectimur omnes
Munera. nostra est solus & unus,
Cum Patre, cum Spiritumine sancto,
Cui decus & laus, gloria Christus.

ODA V.

Monocolos distrophos. Primus uersus Asclepiadeus choriambicus, qualium est libri primi Oda undecima. Alter Archilochius iambicus, cuiusmodi plures reperiuntur libro primo, & in secundo tota Oda nona.

– – –∪∪– –∪∪– ∪∪
– – ∪– – – ∪–

Vt Deo pro beneficijs conseruationis quotidie fiamus gratiores.

Quem tu propitio lumine uideris,
Cælestis ô proles Patris,
Illi non pharetris spicula Gnosijs
Inerme ruperint latus:
Non hostis patriæ mœnia diruens,
Manum cathenis uinciet:
Non uastans hominum, non pecorum genus
Lues prehendet tabida.
Ac quamuis Libyco nauiget æquore,
Euris ratem frangentibus,
Aut septus ualidis mille latronibus,
Trucem stet ante Decium:

Exoptata laris tecta tamen sui
Illæsus intuebitur,
Iucundæ referens oscula coniugi, &
Desideratis liberis.
Nos autem auxilio iam toties tuo
Modis leuati plurimis,
Festo flore comas impediemus, &
Ponemus aris munera.
Sed centum capitum non cadet hostia,
Tingetq; cultros sanguine:
Aut quæ munera Arabs miserit, aut Syrus,
Auri atq; balsami feres.
Offert tantùm humiles ardor inops preces,
Sonumq; parui carminis.
Quòd si fortè choros inter amabiles
Vatum piorum me locas,
Cultus Christe nouis semper honoribus,
Cantus suaues audies,
Odis inq; meis nomen erit tuum,
Cunctis notatum paginis.
Quamuis nullius est laudis egens Deus,
Mentem tamen gratam approbat.

ODA VI.

Monocolos tetrastrophos. Versus Archilochij dactylici dimetri hypercatalecti, ex pentemimeri heroica, duob. scilicet dactylis, & syllaba abūdāte.

– ∪∪ – ∪∪ –
– ∪∪ – ∪∪ –
– ∪∪ – ∪∪ –
– ∪∪ – ∪∪ ∪
– ∪ – ∪ – ∪ –

Pro

Pro uictoria aduersus perpetuum humani generis hostem.

QVi super arce poli,
Summaq; & ima regis,
Quem tremit aula ducis
Horrida Tartarei.
Da pater alme precor,
Vincere cuncta mala,
Pectore quæ uario
Callidus hostis habet.
Cui tua progenies,
Quam malus ille suis
Ausus adire dolis,
Restitit, acta fame.
Non erat illa fames
Panis, & ore sacro
Verus homo atq; Deus
Non sitiebat aquas.
Nostra erat illa salus,
Crimine patris Adæ
Prodita, quam miseris
Reddere iussus erat.
Hic hominum stimulis
Acribus egit amor,
In trabe sancta potens
Figere membra Dei.
Ergo per illa precor
Vulnera, perq; crucem
Christe, tuumq; minax
Quod fodit hasta latus:

Sanguinis unde rubri,
Et salientis aqua,
Crimina nostra lauans,
Fons preciosus ijt.
Te duce uincat homo,
Ne ferus hostis ouet,
Injciatq; gregi
Vincula dura tuo:
Libera de luteo
Carcere, mens ut eat
Ad pia cœlicolûm
Gaudia spirituum.

ODA VII.

Monocolos. Versus sunt Aristophanici hexametri heroici luxati, secundo & quinto loco solũ habentes dactylum: primo, tertio, quarto, uel spondeum, uel dactylum, uel trochæum: sexto spondeum uel trochæum. Legitur inter iocosa Epigrammata, quæ licet Virgilio soli ascribuntur, tamen neq; illius, neq; unius scriptoris esse uidentur.

⏑ – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑⏑ – –
– – ⏑⏑ – – – ⏑⏑ – ⏑⏑ – ⏑

Vt integram, tranquillam, illabefactatam Deus conseruet Ecclesiam.

Splendeant trabibus Libani, Africæq; columnis,
Attaliq; opibus tecta alta, & Achæmenis auro:
Sit solum Phrygio de marmore, Callaicoq;
Stent postes solidæ ferro, Chalybumq; rigore:

Quæ

Quæ ſtupent leuibus mortalia lumina cauſis.
At mihi tua Chriſte domus paupercula, nuda
Veritate nitens, fucoq; carente pudore,
Cuius ardua habet Pietas, & iuncta ſorori
Iuſticia, & Fidei locamine nititur imum,
Vaſtas mole trabes uidetur uincere regum.
Hac enim ſonatuſq; tui uox inclita uerbi,
Nominiq; tuo laudes canuntur, & hymni.
Impetramus ea pacem, ſerenaq; cæli,
Et ſolo pluuias, & mites æquore uentos.
Heu quot illa tamen quondam lacerata tyrannis,
Et laceratur adhuc: hyæna Romula torum
Ringitur, exacuitq; feras draco Barbarus iras.
Nec ſatis fuit hoc malorum, plurima uulpes,
Ditis egrediens cauea, noua dogmata fingit,
Munita inſidijs, & docta nectere fraudes,
Ac ſuperba animis, cœtuq; immixta bonorum,
Diſtrahit ſocias, ſucceſſu læta, caterua.
O Pater, uiden' ut tumidis circundatur undis,
Ad te per mediam fugiens Eccleſia Memphim?
Tergo inſtat, ſocio coniuncta hyæna dracone,
Dura Paretonio minantes plura tyranno.
Tum premunt latera, hinc erectæ ad cærula cœli,
Montis inſtar aquæ, notus contrarius illinc.
Tu per unigenam nos cœlitus aſpice Natum,
Cuius iſta domus nomen crucemq; fatetur:
Sis tuis placidus, pacemq; ante omnia, pacem
Præſta, & horriſonas depelle aquilone procellas.
Luminum uarios amittat hyæna colores,
Et tuis teneat uocem nimis inſidiantem:

Cæca & muta ſuis non poſſit artibus uti,
Nec meliore draco Rhodopæus ſorte fruatur,
Victus, inualidus, captus, ſpoliatus, inermis:
Tum quod ſupplicij eſt, & quidquid triſte timendū,
Vulpium capiti eueniat, tranquilla mouentum.
Vt domus populi perſtet tua feſta colentis,
Abſq; lite, uelut ſuſpenſus arbore nidus,
Quo fouent teneros paſſer columbaue pullos.

ODA VIII.

Monocolos heptaſtrophos. Verſus Ariſtophanici anapæſtici dimetri acatalecti, mixti & confuſi, ex anapæſtis præcipuè, ſed ſingulis locis admittentes ſpondeum aut dactylum. Hoc genere poetæ Tragici plurimum utuntur in choris.

⏑⏑– ‒‒ ‒⏑⏑ ‒‒
⏑⏑– ⏑⏑– ‒⏑⏑ ‒‒
‒‒ ‒‒ ⏑⏑– ‒‒
‒‒ ⏑⏑– ‒‒ ⏑⏑–

Vt principes & ciuitates defendat Deus, hoſpites Eccleſiæ.

Animo magno recta tueri,
Digna excelſo principe uirtus.
Licet innumero ſepta latrone,
Diuturna tamen nulla tyrannis.
Quanto minus eſt ſtabile imperium,
Serpentigenæ quod populi auſu
Ardua turres ducit ad aſtra?
Si pro rapta coniuge, proq;
Natis & amicis pugnantes,

Si pro

Si pro patria occisos canimus:
Iustius illos etiam Heroas,
Genitosq; Deo dicimus esse,
Præsidio quorum tuta manet,
Hodie in terris inclita pietas.
Sicut clarent nomina regum,
Pietatis quos extulit ardor,
Magnanimi Dauidis, & eius
Qui sunt toto corde secuti
Iter: & Achasi filius, & qui
Precibus Syrum, precibus morbum,
Precibusq; Dei sustulit iram:
Sic nunc celebrentur quoq; multi,
Fortes Christi regna tueri,
Quiq; bonorum similes esse
Vel uitæ discrimine malint:
Quàm qui fortes turpiter animos
Abiecerunt; ueluti Saulus
Et Sebiades, cæsus uterq;.
Verùm ut persistent stabiles multi,
In proposito magno, Dominum
Cœli & terræ metuendo magis,
Quàm perituras hominum leges:
Ipsos serua Christe, tuiq;,
Quà patet ampli terminus orbis,
Sparge sacrati semina uerbi.
Nec non reliqui populi, urbesq;,
Quorum hospitio Ecclesia floret,
Munitæ altæ robore mentis,
Sint incolumes, sint florentes:

Impios

Impius ut cùm uideat Christi
Regnum augeri, tacito uratur,
Animum rodens, corda dolore.

ODA IX.

Monocolos. Versus Aristophanici anapæstici tetrametri acatalecti, mixti ex anapæstico dimetro, quales fuerunt Odæ præcedentis omnes: & ex heroico trimetro, cuius generis in prima Oda huius libri fuerunt duo postremi.

–– ⏑⏑– ⏑⏑– –– – –– –⏑⏑ ––
⏑⏑– –– –⏑⏑ ⏑⏑– ⏑⏑ –– –⏑⏑ ––
–⏑⏑ ⏑⏑– –– –⏑⏑ – –⏑⏑ –⏑⏑ –⏑

Pro ijs qui contra impios cultus ueram de Deo religionem defendunt.

QVæ'nam tenet ac tenuit cæcũ semper uesania mundum,
Animos cotra tollere Christi doctrinã, eiusq́; ministros?
An quòd nunquam improbitas faciles pietati commodat aures?
An quia tenebræ mundi nequeunt lumen cœleste tueri?
Genitum æthereo de patre Christum, durum exhausisse laborem,
Hominũ causa, & nullo merito nobis donasse salutem,
Triplicẽ gestans fronte tiarã, blasphemo pernegat ore,
Grexq́; imitatorũ: quia laudẽ, quæ soli debita Christo,
Alijs tribuunt, eiusq́; nouant non ulli iussa nouanda:
Sacra prostituunt auro, fingunt terrores, templa prophanant,

Vul-

Vulgiq; uetant noscere lingua, æternæ præcepta salutis
Sibi opes quærunt, populum instituunt per totum uix
semel annum:
Prohibent leges coniugiorum, uendunt beneficia,
Deumq;
Et aperta uoce palàm clamant, Regnum nõ utile Christi est.
At qui pugnant animis contra mendacia fortibus ista,
In eos regum intentant gladios, & magni Cæsaris iras:
Quas in Turcam accendere pium erat, uertunt in uiscera Christi.
Nunc absumpta incẽdia, ferri est obtusus mucro, cruoris
Sunt effusi fluuij, rabies tamen haud saturata quiescit.
Sed tu cœlo residens alto Pater optime, cõprime tãdem
In tua sæuos membra Antiochos: & per quos crescere uerbum
Vitæ statuis, defende. tuos alter suspirat honores,
Sacrilego qui se facit ausu terræ astrorumq; potentẽ,
Ponere cœlestib. haud dubitans ingẽtia iussa ministris.
Quiq; impugnans meritum Christi, calcat pede uulnera Christi,
Cui cæca pedi (indignùm) figunt amẽtes oscula reges.
Astrue regnum, quod donasti, per chari uulnera Nati,
Nostris quod maioribus olim rapuit Romana tyrannis:
Et nunc cupit extinguere, nulli parcens insana furori.
Serua, serua Pater, ut perstet tua tandẽ Ecclesia sancta:
Daq; fideles uerbo, fortes animo, uitaq; probatos,
Inq; tuẽdo grege magnanimos pastores atq; magistros,
Qui pro timidis ouibus pugnent, cõtra furesq; luposq;:
Vt cum ueniet filius hominis, sonitu præeunte tubarum,

Arbi-

Arbiter orbis, ſtatuens olidos procul à balantib. hircõs,
Nos cũ Chriſto, merito ipſius, ſuę e ũ aſcendamus ouile.

ODA X.

Dicolos diſtrophos. Primus uerſus Alcmanicus dactylicus trimeter hypercatalectus, modò dactylum, modò ſpondeum indifferenter ſuſcipiens. Alter Pherecratius trimeter acatalectus, conſtans ſpondeo uel anapęſto, dactylo, ſpondeo, uel propter extremam communem trochæo.

–◡◡ –– –◡◡ –
–– –◡◡ ––

Pro ijs qui amant doctrinam cœleſtem, ut eius luce illuminentur.

IAm noua lux miſit radios,
Diuulgata per orbem:
Quoq; ſuum ubar ipſa iacit,
Rident campus & herbæ.
Non ibi flauentes ardor
Torret Syrius agros:
Nec trahit informem limum
Stantis fluminis unda:
Qualem Sequana, uel Dilia,
Voluunt agmine toto:
Qualem Atheſis pridem euomuit,
Cyncli & mobile ſtagnum:
Sed uer perpetuum ſpirat,
Eius cuncta ſodales
Dum tepidi mulcent Zephyri,
Et per garrula ſaxa

Irri-

Irrigui ſtrepitant fontes,
Reſonantq; alite ſiluæ.
Hanc ex mente Patris lucem,
Radijs cuncta fouentem,
Accendit, uentoq; ſacri
Longè flaminis egit,
Neſcius occaſum Dominus,
Rerum principium & finis.
Ergo qui ſine fine micas,
Talis luminis auctor,
Virginei partus uentris,
Voxq; & ſermo parentis
Aetherei: da quæſo tuis
Claram cernere lucem,
Qui tibi nocte dieq; ferunt
Iuſſas munera ad aras,
Vota, preces, gemitus, lacrymas.
Regum cæca tyrannis,
Pontificumq; libido, pios
Audet tradere morti.
Ac ueluti cerua nimio
Qui feruefcit ab æſtu,
Vallibus hinc atq; inde uagus
Fontem quærit opacum:
Sic quoq; grex tuus in tenebris,
Multo preſſus ab hoſte,
Speratas quandoq; cupit
Vultum tollere ad auras,
Et de fonte tui uerbi
Optat ducere riuos.

Hanc ſeda atq; extingue ſitim,
Refouens pectora anhela,
Propitiusq; tuam lucem
Cupidis mentibus adde:
Ne pereant animæ, quarum
Cauſa paſſus acerba es:
Vtq; illas faceres ſaluas,
Mortis clauſtra ſubiſti.

ODA XI.

Monocolos tetraſtrophos. Verſus Adonij dimetri acatalecti, quales apud Lyricos accinuntur Sapphicis hendecaſyllabis: apud Tragicos, Ariſtophanicis anapæſticis,

–∪∪ –∪
–∪∪ –∪
–∪∪ –∪
–∪∪ –∪

Vt uitæ ſtudia Deus fortunet.

VNica uitæ
Regula Chriſte,
Conditor orbis,
Atq; redemptor:
Ne, quaſi pulchrum,
Turpe probemus,
Diſſice inertes
Corde tenebras.
Sit tua nobis,
Tradita flatus

Numi-

Numine ſancti,
Nota uoluntas.
Dirige noſtræ
Lintea proræ,
Cùm uaga miſcet
Aequora turbo.
Littora fac nos
Cernere fidæ,
Atq; propinquum
Tangere portum.
Daq; laboris,
Ac ſtudiorum,
Poſſe ſalubres
Carpere fructus.
Vt tua per nos
Gloria creſcat,
Atq; perenni
Laude colaris.

ODA XII.

Dicolos diſtrophos. Primus uerſus Pherecratius dimeter acatalectus, ex trochaica pentemimeri, trochæo ſcilicet, ſpondeo, & ſyllaba longa: & ex Adonio, hoc eſt, dactylo & ſpondeo, uel trochæo, propter finem. Alter Ariſtophanicus, ex monometro hypercatalecto: hoc eſt, ex iambica pentemimeri, iambo uel ſpondeo, iambo & ſemipede, & ex Adonio.

Vt puerorum ſtudia Deus propitius gubernet.

PVlchra Pæſtanis ut roſa in hortis,
Naſcente mittit uere corymbos:
Sic ſtatim primis debet ab annis
Puer cupitos edere fructus.
Aut bonæ ſi cui turpiter horæ,
Citæq; ierunt tempora uitæ,
Ille narciſſum ſero, at honeſto
Tamen ſequatur flore comantem.
O puer, Chriſto nomina dans, cùm
Fontis ſalubri tingeris unda,
Diſce cœleſtem noſcere patrem,
Precemq; crebras offer ad aras.
Huc refer finem, principiumq;
Et actionum, & totius æui.
Rex Deus nullo cultus honore,
Regna atq; magnas perdidit urbes.
Traditum munus ſedulus imple,
Seruaq; docti dicta magiſtri.
Nec tuos unquam læde ſodales,
Mentemq; cunctis exhibe amicam.
Hinc bonas artes, dona ſuperni
Flatus, amore amplectere uero.
Ira, lites, mendacia, fraudes,
Et contumaces pectoris auſus,
Barbarus quæq; haud fert Scytha, longè
Ab eruditis moribus abſint.
Vt ſcias membrum te melioris
Cœtus, Deiq; in te pia noſcas

Dona

Dona, ne poßis transfuga dici,
Bonique tanti ingratus haberi.
Hæc ut agnoscat labilis ætas,
Et imperitæ corda iuuentæ.
Spiritu infirmos tu rege Christe,
Ac inscientes dirige sensus:
Quosque tam blanda uoce uocasti,
Tuo fauore & numine firma.
Angelos illis adde ministros,
Curas ad has quos ipse creasti,
Vt sit in terris concio sancta,
Grex inter orbis iamque ruinas
Perstet immotus, qui tua facta
Canat futuro temporis æuo.

ODA XIII.

Dicolos distrophos. Versus Ionici trimetri acatalecti. Primus Anacreonteus, ex duobus molossis, & Ionico à minore. Alter Aristophanicus, è amphibrachy, molosso, & Ionico à minore. Si quis hoc genus inter composita referre mauult, & distinguere pedibus, ita ut superior Oda distincta est, non impedio. utrumque enim genus inter se admodum simile. In priore cæsura, modo & temporibus differunt: in extremo sunt æqualia.

— — — — — ⏑ ⏑ — —
⏑ — ⏑ — — — ⏑ ⏑ — ⏑

Pro magistris, qui fideliter & seuere ætatem teneram instituunt.

Quid prodest regum sanguine nasci,
Noscique ab ipso ducere gentem,

Ornatum claris dotibus esse,
Videre acuta plurima mente?
Non gentem uirtus, non comitatur
Pium, ualentem Simsona, pectus:
Ni cauti frenent corda magistri,
Regantq; doctis impetum habenis.
Tollentem cœli brachia ad auras
Videmus altis montibus ornum:
Quam terra paruam uellere possis,
Securis haud qui nunc pauet ictus.
In formas transit cærea cunctas,
Adhuc mali expers mens puerorum.
At sicut nullo picta colore
Capit figuras quasq; tabella:
Sic haurit doctrinam rudis ætas,
Bibit quam ab ipso lacte parentis:
Nec nouit prauos ponere mores,
Semel tenellis quos rapit annis:
Vt non imbuti mittit aceti
Recens amarum testa saporem.
Da Christe ô doctos, daq; fideles,
Virosq; sanctis moribus aptos,
Qui forment paruæ corda iuuentæ,
Viasq; ducant semper honestas:
Linguam qui fingant artibus, atq;
Comas in herbis luxuriantes
Qui tollant, ne siluescat adulta,
Superba solis caulibus, uua:
Matura ut pulchros efferat olim
Sacratum ad usum uinea fructus.

Qui

Quos ergo tali munere fungi
Iubes, molestos ferreq; fasces,
Rectores turbæ sunt quia sanctæ,
Ferè & proterui fabula mundi:
Tu serua magni nate parentis,
Et Angelorum protege turma.
Succrescat nobis culta iuuentus,
Ad utiles res apta gerendas,
Neu totum perdant turpiter orbem
Mala imperiti examina uulgi.
Sit cultus templis, urbibus ordo,
Scholisq; ueri dentur honores.

ODA XIIII.

Dicolos tetrastrophos. Versus omnes Phalęcij. Priores duo & postremus pentametri hędecasyllabi, cuius generis & in primo & in hoc ipso libro leguntur. Tertius tetrameter enneasyllabus acatalectus, ex spondeo, dactylo, & ditrochæo, uel trochæo & spondeo.

– ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
– ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ – –
– ⏑⏑ – ⏑ – ⏑
– ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ – –

Pro conseruatione doctrinæ sinceræ, in ijs ecclesijs in quibus iam lux uera Euangelij effulsit.

Astrorum dominus, maris, soliq;,
Aeternusq; tui parens IESV,
Vnus maximus, optimusq;,
Cum Nato Dee, Spirituq; sancto.

Qui primo tibi condidisti ab æuo
Agmen non numerabile Angelorum:
In terris quoq; congregasti
Cœtum te uenerantium fidelem.
Adsis pro solita benignitate,
Ac te rite uocantibus propinques:
Quod te per Genitum beatum,
Perpessum tot acerba, flagitamus.
In nostris regionibus tuere,
Quæ te prædicet, inuocetq; turbam:
Te cognoscat, amet, placentem
Sistat thuricremas acerram ad aras.
Quæ Christum ueneretur, & salutis
Auctorem fateatur esse solum:
Illumq; assiduis fatigans
Lamentis, ueniamq; opemq; poscat.
Quæ sponte & facilis sacri sequatur
Ductum flaminis, ambuletq; recte,
Et dicat meritas per æuum
Sinceris precibus fideq; laudes.
Nam fixum hoc animis sedet, quòd unum
Cœtum iusseris esse te colentum,
Quâ Ganges patet, atq; Bæthys,
Ardens quà Nepa, quà piger Bootes,
Eius nos quoq; membra scimus esse,
Qui te diligimus, tibi litamus,
Ac dictis adhibemus aures,
Quæ per templa tui sonant ministri.
Hanc audi bonus, adiuuaq; fortis,
Quæ clamat, queriturq; concionem:

Aduer-

Aduersusq; furorem, & astus
Prædonum, patrijs foue sub alis.
Da justos dominos, bonosq; reges,
Tutantes miseræ ocia & quietem.
Quàm ueros feret hic laboris,
Qui nutricius est piorum, honores?
Ac quandò Pater in tui rogamus
Nati nomine, & illius frequenti,
Promissæ memores salutis,
Ad te tollimus ora nostra iussu?
Aufer tot mala dura luctuosi:
Belli, redde serena dona pacis:
Sint sedes placidæ scholarum,
Sint Ecclesiæ & hinc & inde tutæ:
Vt prisco niteant decôre lætæ,
Pax concors, Pietate cum sorore:
Et tollant capita alta, sicut
In campo ardua palma stans Idumes.
Tuq; ô Christe, tu ô redemptor orbis,
Proles certa Deiq;, Virginisq;,
Nostram suscipias patronus,
Defendasq; tuo fauore causam.
Vt cuncti uideant, sciantq;, sanctæ
Te solum caput esse Christe turbæ:
Te regnare Deum, sacrosq;
Per te perpetuò manere cœtus.

ODA XV.

Dicolos tristrophos. Primi duo uersus Phalæcij hendecasyllabi pentametri, postremus Glyconeus choriambicus trimeter. Vtriusque generis

exempla in superiorib. libris fuerunt tractata, sed locis diuersis. Primi generis Libro primo, Oda tertiadecima: postremi primus est eiusdem Libri Odæ decimæ, & ultimus Odæ quartæ & quartędecimæ: item Libri secundi primus Odæ tertiædecimæ, & tota Oda undecima.

–⏑ –– –⏑⏑ –⏑ –⏑

–⏑ –– –⏑⏑ –⏑ ––

–– –⏑⏑– ⏑⏑

Pro concordia eorum qui Ecclesiæ, Reipublicæ, & ludis literarijs præsunt.

Conditor rerum, superûm nitentem
Qui domum, summi super alta cœli,
Munis orbe nouemplice:
Qui facis uultum radiare solis,
Cumq; mutato quoq; sole, corda
Læta aut tristia reddis: &
Qui uaporosæ modò plena lunæ
Lumina excudis, modò diminutum
Fingis cornibus ambitum:
Alteram noctis dominam, diei
Alterum patrem, & famulans utrisq;
Adiungis decus Hesperi.
Quis uetat cœli imperio, minora
Regna terrarum, sibi comparare
Iuncti fœderis inuicem?
Sol hic est noster speciosa turba,
Cuius est Christus caput: ille uerum
Præstat pectoribus diem.

Ille fulgentes radios per orbem
Mittit, & uerbi iacit undequaq;
Purum saluifici iubar.
Luna nocturnas fugat ut tenebras,
Hostis impuro, metuenda furi,
Stellis cincta micantibus:
Sic regit uitas hominum, & labores,
Qui tenens uulgi moderamen æquum,
Causis nubila discutit.
Sed nec in templis tibi conciones
Vtiles fient, neq; finientur
Iustis prælia legibus:
Ni scholæ sese his socient, & illis
Partibus, lucis famulæ, atq; noctis,
Hesperi conditionibus.
Luna si solem aureum haberet hostem,
Præuia auroræ reliqua astra stella,
Cœli ingens caderet globus:
Templa sic, & publica res periret,
Ac scholæ turpem traherent ruinam,
Ni cunctæ unanimes forent.
Sancte cum Nato Pater, astra consors
Possidens, & Flamine cum sacrato,
Vis una, & Deus unicus:
Omnium mentes placidus guberna,
Da pios sensus, & amica iunge
Vinclis pectora aheneis.

ODA XVI.

Dicolos distrophos. Primus uersus Phalæcius trimeter, ut sunt Libri secũdi Oda quinta omnes,

& Libri tertij Oda quartadecima priores duo & postremus. Alter elegiacus pentameter, factus ex duplici pentemimeri, altera heroica, altera dactylica.

– – – ⏑⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑
– – – – – ⏑⏑ – ⏑⏑ –

Vt in sua quisq; functione felices atq; utiles consequatur successus.

O Custos hominum, fatorq; rerum,
Verus & omnipotens ante creata Deus:
Occasus moderans, regens & ortus,
Illustrans uerbi lumine cuncta tui.
Cuius cœruleas uolans per undas
Spiritus impleuit numine inane chaos.
Tu das alitibus leues uolatus,
Squamigerum mandas amne natare pecus:
Obseruatq; tuo domum Molossus
Iussu, & Olympiaco carcere sudat equus:
Massyli quoq; sæuiunt leones,
Fulmineo Marsus dente timetur aper:
Et pondus graue Sarde fers asselle:
Bos arat, est placidæ simplicitatis ouis.
Quidam retia te uolente tendit,
Alter Sidonio pulcher honore nitet.
Tu iussisti inopem docere Petrum,
Tu gerere insignem sceptra Theodosium.
Hæc cum munera comprobes, amesq;,
Imponasq; aliquod cuiq; laboris onus:
Optatos precor, utilesq; præbe

Suc-

Successus, & opes munificè adde tuas:
Vt qui lina trahit frequens ad undam,
Huic plenus multis piscibus hamus eat.
Dent aures faciles docente Petro,
Impleat & templi fœmina uirq; fores.
At regem ueneretur, audiatq;
Imperij sceptris subdita turba pij.

ODA XVII.

Monocolos Versus sunt Cretici, siue Pæonici dimetri acatalecti, constantes ex Creticis. In primo, secundo, & tertio loco hospitem & amicum pedem accipiunt, pæonem primum uel quartum, qui fiunt ex resolutione longarum syllabarum in Cretico.

– ∪ – – ∪ – – ∪ – – ∪ –
– ∪∪∪ – ∪∪∪ – ∪∪∪ – ∪ –
∪∪∪ – ∪∪∪ – ∪∪∪ – ∪ –

Ad tollendam inter principes patriæ discordiam.

ID etiam restitit patriæ, hostilibus
(Prò facinus) inuicem ut concideret ensibus?
Quis furor tam fuit pertinax? quæ lues
Tam rabida ab inferis sedibus, & horrida
Nocte, mites coègit uiros, sanguine &
Fœdere, ac pluribus compares uinculis,
Stringere in mutua enses graues uulnera?
Audient impij nos professos simul
Christianam fidem, ferre nunc hostica
Arma, queis rectius cæderentur Getæ,
Barbari, queis periret Babylon improba,

Quis-

Quisquis & ueritati repugnat Dei.
Tecta flagrare non Thracijs ignibus
Vidimus, uidimus cum domibus oppida
Diruta, heu non tyranni manu Pontici:
Penè fratrum data hæc damna sunt dexteris.
Fuimus ingrati, & hoc omne, maioraq;
Meruimus. sed tuum est ô Deus parcere,
Et preces supplicum nolle contemnere.
Culpa nos merita quamuis premat, non tamen
Ideò cessat mali perpetrandi furor.
Quò ruis cæca mens? pœnite, pœnite,
Et sacras curre ad aras, Deus criminum
Contumaci haud solet pronus aures dare.
O Pater, per tuum filium quæsumus,
Mitiga animos acerbos, doma pectora
Dura: da dulce pacis bonum, & spiritum
Cœlitùs mitte sacrum, quietis Deum,
Atq; concordiæ: si fide poscimus,
Obsecramusq;: si te fatemur soli,
Maris, abyssi, ætheris, mentium hominum, patrem
Præpotentem, tua sospita nos ope.
Bella crudelia, famemq; miseram, & luem
Morbidam ad Thracium iratus age Bosporum.
Capita discordiarum tua dextera
Tolle, rursus boni fulgeant ut dies.

ODA XVIII.

Dicolos distrophos. Primus uersus iambicus dimeter acatalectus, è quib Secundi libri constat tota Oda nona, & sæpe alijs in locis eo usi sumus, ut in hoc ipso Libro Oda quinta, & Libro primo Oda

Oda secunda & nona: ubi alijs accinitur. Secundus trochaicus dimeter catalectus, factus ex tribus trochęis, & indifferente syllaba, admisso quoque spondeo loco secundo: cuius generis est primus in Libro primo, Oda octaua.

— ⏑ — — ⏑ —
— ⏑ — ⏑ — ⏑ —

Vt Deus in ordinibus publicis rectè sentientes tueatur.

Primi parentis proditor,
Simplicisq; fœminæ,
Verbiq;, quod perceperat,
Falsus interpres Dei:
Noctis, diei squamiger
Non quiescit tempore,
Præceps in æternam ut necem
Trudat humanum genus.
Astu timendus deuio, &
Tortuosis fraudibus,
Factisq; nomen congruum
Nactus à calumnia.
Nunc uiribus ruit ferox
Mille cum phalangibus,
Et præliatur principes
Acer inter ordines.
Nunc flammeum ex rubis caput
Multi linguis exerit,
Præter maligne calcibus
Imminens euntium;

Infen-

Infensus illis maximè,
Recta quos sententia,
Et nota uirtus extulit
Publicis honoribus.
Qui cuncta, sicut nauitæ,
Signa turbinum notant,
Ne puppis irruentibus
Obruatur fluctibus.
His ille uentorum impetus,
Cœli & æquoris minas
Immittit, ut portu procul
A quietis arceat.
Remoq; & euris incitam
Currere humidas uias,
Velut tenente remora,
Non sinit Liburnicam.
Velum inuolat mendacijs,
Et rudentes inuida
Spira implicat, remos tenet
Asperis calumnijs.
At tu Pater, cœli Deus,
Qui draconis horridi,
Per filium potens tuum,
Luridum calcas caput:
Qui ueritatem amant uiros,
Quiq; recta sentiunt,
Illis utrunq; cœlitus
Protege inuictum latus.
Frange efferos satellites
Inferæ tyrannidis,

Et

Et seruientem dæmoni
Perde multitudinem.
Susanna inique non cadat
Sub procace iudice.
Nabothus agri terminos
Seruet, ac ius patrij.
Cedat pudori audacia,
Vincat innocens reum.
Pugnet furori lenitas,
Veritas mendacio.
Vt sicut alta fulgido
Axe splendent sidera:
Bonorum ita excellant quoq;,
Et coruscent agmina.

ODA XIX.

Dicolos distrophos. Versus primus Euripideus trochaicus dimeter acatalectus, ex trochæis quatuor constans, recepto (ut fit) paribus in locis spondeo. Alter Anacreonteus iambicus dimeter catalectus, quales sunt in Libro secundo Odæ duodecimæ omnes, & Odæ ultimæ postremus.

– ∪ – ∪ – ∪ – ∪
∪ – ∪ – ∪ – ∪

Vt consilarios pios & sapientes Deus principibus adiungat.

VT sciens sit rector ipse,
Ratisq;, littorisq;:
Vtq; currum qui gubernat,
Equos agat perite:
Ille fractis cum periclo
Remis fretum mouebit

His

Hic rota labente, ſerò
Domum miſer reuiſet.
» Vt bonus ſit forte princeps,
» Veriq; amans, & æqui,
Nec peritos ac fideles
Sit nactus idem amicos:
Publica in ſtatu beato
Res non poteſt manere.
Ionathæ patri quis auctor
Necis fuit probroſæ:
A Deoq; quis cor eius,
Niſi improbi tulerunt?
Quisue lumine, atq; ſceptro,
Et prole Zedechiam
Orbat? an non efferorum
Ducum ſcelesta turba?
Tu boni largitor omnis,
Regumq; rex potentum,
Mitte tales oro peſtes
Terræ ultimas ad oras:
Lubricum fac & tenebras,
Pedem ac uias eorum,
Angeliq; perſequentis
Cadant cruento ab enſe.
» Rurſus à malo ſit omni
» Procul remotus ille,
Qui facit plus imperantem,
Quàm purpuram & placentam.
Qui timens Dei, irretortus
Dona abijcit nocentum:

Quiq;

Quiq; pollet eruditæ
Mentis ſagacitate.
Cumq; tales ciuitati
Soli utiles putandi:
Da Pater, iuua, & guberna
Tui uiros amantes:
Lux ſit atq; rectitudo
Iter, pedesq; eorum.
Floreant, ferace in agro
Quæ ſunt, pares oliuis,
Pullulentq; ſempiternùm
Radicibus nouellis,
Squallido ne ſenticeto
Campi aſperetur æquor.

ODA XX.

Dicolos diſtrophos. Primus uerſus Anacreonteus iambicus dimeter catalectus, è ſpondeo uel anapæſto, duobus iambis, & abundante ſyllaba: cuius rationis propemodũ ſunt libri ſecũdi Odæ duodecimæ omnes, & Odæ ultimæ poſtremus, item Libri tertij Odæ nonædecimæ etiam poſtremus. Alter Alcmanicus dactylicus trimeter acatalectus, è dactylis duobus & ſpondeo, uel primo quoq; ſpondeo.

– – ∪ – ∪ – –
– ∪ ∪ – ∪ ∪ – –

Vt Deus ueræ Eccleſiæ membrum ſe perpetuò uelit eſſe.

Quicunq; ad aſtra uocem ‘‘
Tollere feruidus optat, ‘‘

Membrum hunc oportet esse
Sancti immobile cœtus.
Deus audit improborum
Nullo tempore uota.
Neq; uult suum maligno
Verti nomen in ore.
Si thura fert ad aras,
Excitat impius iram:
Maledicta, si precatur,
Cœlum spargit in ipsum.
Quis ergo clara uultum
Lætum tollet ad astra?
Qui credit in Parentem,
Verbo cuncta potentem:
Suamq; nouit esse
Vitam, uulnera Christi:
Qui, sorte de piorum,
Consors numen utriq;,
Sequitur pij fauoni
Flantem cœlitus auram:
Nec carcerem, minasq;,
Oraq; Maximiani
Horrens, sinit seuera
Se de mente moueri.
Sit laus Deo perenni,
Omne & gloria in æuum,
Quòd fonte, quodq; uerbo
Culpas eluit, & me
Carnisq;, sanguinisq;
Prædulci cibat esca.

Quòd

Quòd concionis huius
Partem uult numerari,
Qua sola ueritatis
Spirat cœlitùs aura,
Passoq; non negatur
Debita gratia Christo.
In qua manere parte,
Contra carnis, & orbis,
Satanæq; ut arma possim,
Clemens effice Christe:
Motusq; cordis ægri, &
Gaudia lubrica pelle,
Curisq; de prophanis
Exemptum audijce cœlo:
Vt sedibus beatis
Viuam, portio diui
Cœtus, tuasq; longo
Cantem tempore laudes.

ODA XXI.

Dicolos distrophos. Trochaici omnes. Primus Euripideus trimeter acatalectus, è trochæis quatuor, admisso locis paribus spondeo. Cuius generis in hoc Libro est Odæ nonædecimæ primus. Secundus Archilochius trimeter acatalectus, è trochæis quinq;, spondeo item locis paribus adhibito.

– ∪ – – ∪ – ∪

– ∪ – – ∪ – – ∪ –

Vt iram suam offensam prodigijs,
Deus uertat in impios.

,, QVidquid in cœlo, soloq;,
,, In marisq; fit patentis æquore,
Fit Deo nil non iubente.
Impie haud sentis Deum? quin aspice,
Sæpius quando rubente
Sanguinis colore sol apparuit?
Pallidumq; luna nullum
Ore tetro multiformis extulit?
Cœlum hiare nocte uisum,
Flammeis super cadentibus globis:
Sanguinisq;, sulphurisq;,
Triticiq; fluxit imber: fulmina
Oppida & uillas cremarunt.
Clangor auditus tubæ atq; classici,
Militantiumq; castra
Hinc uagata sunt & hinc per aërem:
Monstra matronæ ediderunt,
Et feræ partus tulerunt horridos.
Terra motu contremiscens,
Hausit urbes: quaq; camporum prius
Plana, montes nunc teruntur:
Quaq; pisces iuerant, eunt equi.
Neue quid mali de esset,
Pontus urbes, ignis urbes obruit:
Spemq; ruris messiumq;,
Murium grex & locustarum tulit:
Spectra luce uisa clara
Causa inusitata sunt formidinis.
Ossa, ferrum, ligna, chordæ

Tube

Tuberarunt ex ephebi corpore.
Quisquis es, caue monentem
Mente te Deum leui contemnere,
Disce patrem fulgurantem
Intimis pauere digne sensibus.
Facta uitæ corrigendo,
Ingemisce, deprecare, pœnite.
Flamma consumens Dei ira est;
At pia tamen placabilis prece.
Affer ergo opem benignam
Cœlitus nobis Pater dolentibus;
Nec salubris esse cessa,
Nostra curans morte Nati uulnera.
Iure tu iustam minaris
Inquinatis crimine iracundiam.
Iure reijcis nocentes,
Mentis ingratæq; non probas scelus.
Sed tuum non est, quod ipse
Tu creasti, perdere: aut id tollere,
Quod potes seruare. serua
Nos, tui ob famam perennem nominis.
Et reduc dextram: nec iræ,
Sed tuæ memento largus gratiæ.
Tolle terrores, metusq;:
Si quid & mali timendum est, binc procul
In tuos, hostesq; nostros
Verte. gentes uniuersæ sentiant,
Te pijs adesse, teq;
Seculis odisse cunctis impios.

ODA XXII.

Tricolos pentastrophos. Versus omnes sunt dimetri. Primi tres Anacreontei iambici catalecti, ex anapæsto, duobus iambis, syllaba superflua: quales sunt libri secundi Oda duodecima omnes. Reliqui duo choriambici acatalecti: primus Asclepiadeus, è duobus choriambis: alter Aristophanicus, è choriambo & amphibrachy: qualis est Libri primi Oda septima primus. Hoc genere Claudianus in quodam Epithalamio utitur.

⏑⏑– ⏑– ⏑– –
⏑⏑– ⏑– ⏑– –
⏑⏑– ⏑– ⏑– –
–⏑⏑– –⏑⏑–
–⏑⏑– ⏑–⏑

Pro incremento fidei facilè labascentis.

Deus affatim benignus,
Bona cuncta pollicetur
Bona plura largiendo
Pollicitis, uere animum
Nobilitat paternum.
Puero dedit magistros,
Iuueni dedit patronos:
Mea uota uicit eius
Gratia clementiaq;
Prodiga, liberalis.
Dare nec recusat, omnes
Et opes, & empta fuso

Pro

Proprij cruore nati
Præmia: uitam ætheream,
Cœlicolûmq; ſedes.
Animúmue ne quid ægrum
Dubitatione turbet,
Mihi certa ſponte tradit
Indubitatæ fidei
Signa, ſacriq; amoris.
Age mens, age ad parata
Properare dona ceſſas?
Mea uox, tuus ad uſq;
O Deus, alto gemitu
Voceq; ſcandat aures.
Quoties fide labantes,
Stupidosq; cæcitate,
Et aperta neſcientes,
Verùm auidos & dociles,
Diſcipulos tuliſti.
Sumus imperita turba,
Sine luce uulgus erramus
Radijs tui fauoris
Excute duris gelidas
Pectoribus tenebras.
Licet admouebit omnes
Mihi machinas tyrannus,
Fragilemq; tentet ima
Vellere radice fidem,
Arte ſua doloſa:
Tamen omnis in ſupremi
Pietate ſpes parentis,

Mea qui ſua notauit
Nomina dextra; exiguæ
Dat fidei ipſe palmam.
Ades ô Deus, nec ullo
Sine me labare greſſu,
Placidusq; tolle lapſum.
Abſq; tuo eſt auſpicio
Caſſa hominis poteſtas.

ODA XXIII.

Monocolos. Verſus ſunt de genere choriambicorum mixto: quo præter Boethium, quod ſciam, nemo Latinorum uſus eſt. Conſtant è dactylo, choriambo, proceleuſmatico: uel propter naturam ultimæ communem, pæone quarto.

–vv – vv– vvvv

Pro ſancta uita, & beata è uinculis humanis liberatione.

VT ſolitam maris Adriatici
Sæuitiam, ut gladij fera opera,
Noxia corporibusq; mala, & ut
Pauperiem, exilitumq; fugias:
Non tamen effugies quoq; necis
Vincula, regibus atq; inopibus
Non ſoluenda, nigros ubi ſemel
Inſtita longa pedes tetigerit.
Non decus eximium familiæ
Nobilis, altus opúmue cumulus,
Non coma candida, lumina nigra,
Aut ſenio atq; neci dare moram,

Aut

Aut caput eximere è Styge ualent.
Pocula cùm bibiturus adhibes
Ori, epulasq́; capis, Styga bibis,
Et temerat tibi mors mala cibos.
Vsq; necis memor esto, fragili
De patre lucis habens initium,
Massa caduca luti, miseraq́;
Vmbra: Deumq́; piè reueritus,
Flagitij scelerumq́; stabilis
Osor & hostis age. idq́; quoniam
Das Deus ipse bonum, placidus &
Dexter adesto tuis: rege nouo
Flamine corda. tuiq́; tribuens
Noticiam, unigenæq́; geniti,
Viuere fac bene, fac bene mòri:
Dulcis ut illa etiam mihi sonet,
Vox sonet illa: Ades ô placite grex,
Turba beata ueni, cape Patris
Regnaq́;, & Angelicis data choris
Templa per innumeros cole dies.

ODA XXIIII.

Monocolos. Versus Anacreontei Ionici trimetri acatalecti, è molosso uel choriambo, duobus Ionicis à minore: quorum tamen alter esse potest molossus, postremus semper Ionicus. Alij è principio & fine heroici constare uolunt, dempto per medium pede & semipede.

___ ⏑⏑ __ ⏑⏑ _ ⏑

_ ⏑⏑ _ ___ ⏑⏑ __

Auctoris gratiarum actio, ad Deum omnipotentem.

NOn si psalmographi regis haberem
Ora, aut Tarsensis pectora Pauli,
Ex merito dignas dicere posset
Sidereo grates lingua parenti:
Qui nostro igniculum corde salutis
Accendit, clari lumine uerbi.
Hunc utinam tali uoce ualerem
Prodere, quo multi carmine uates:
Vel quos Hesperijs edidit aruis,
Lumina magna uirûm clara uetustas,
Aurelium Clementem, atq; Iuuencum:
Quosq; opulenta suos Gallia iactat,
Prosperum, & eloquij dulcis Auitum:
Vel quos nostra pios secla tulere
Vates, uerba Deo digna locutos.
Sed non ingenij uena benigna est,
Incidit aut animo grandior ardor,
Fingens exigua grandia uoce,
Atq; operosa ferens carmina paruus:
Saltem corda Deo grata probare, &
Heu uacuus proprij ac pauper honoris,
Aera referre dati quæro talenti.
„ Nam quæ Christe tibi munera cunq;
„ Offerimus, non sunt nostra: sed illa
Reddimus ante data, & credita nobis.
Nec tu scis numerum, aut pondera spectas:
Thesauris Persarumq; Arabumq;,
Pomposisq; aris, aut hecatombis,

Ante

Anteferens puram thuris acerram,
Et gemitum attriti pectoris unum.
Non grauis ergo humilem sperne libellum,
Qui non Assyrio spirat odore,
Ornatusq; uenit diuite cultu,
Quod uetuêre mala plurima nostri
Temporis, heu cursu aduersa secundo
Ingenij, & Lydi nescia cantus.
Vox accepta lyræ sit tibi raucæ:
Quæ licet antiquis uatibus impar,
Atq; nouis minimè æquanda poëtis:
Sat facunda tamen, satq; polita est,
Hunc dum grata sonat, libera laudat,
Quem laudare decet, quemq; sonare,
Quidquid habent liquidi sidera cœli,
Terra quod ipsa suo continet orbe,
Oceanusq; uagis fluctibus ambit.

GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS, BLASIO, Iacobo, Andreæ, fratribus suis, uiris eruditiß. S. D.

NVllum opus è diuinis actionib. multis magnisq; est, quod non mirificam Dei, cùm in condendo, tum in conseruando sapientiam, bonitatemq; perpetuò nobis loquatur. Ex omnibus tamen maximum, & maximè admirabile est illud, quòd

quòd filiũ suũ IESVM CHRISTVM, æquali maiestate, potentia, immortalitate Deum, hominum causa fieri hominem, & infimum atq; abiectissimum hominem uoluit. Huius operis cogitatio, Fratres, cùm subit animum meũ, facilè aliarum rerum non usitatarum admiratio tollitur, & quasi umbra quædam euanescit. Est enim planè eiusmodi, ut hominem in meditando extra se rapiat, & mentem piè intentam in cœlum usque extollat. Siquidem per eam paulatim reuerentia & obseruatio excitatur, & animus charitate ita exardescit, ut nullo suæ imbecillitatis aut indignitatis respectu, in unius Dei, & filij eius IESV CHRISTI clementia & mansuetudine acquiescat. Dubium autem nulli est, imò potius certissimũ, eo nos abesse à Deo longius, quò aut frigidiores ad considerandum, aut ad agendas gratias in tali tantoq; beneficio, duriores sumus. Omnium enim iam inde à condito orbe piorum sententiæ literæq; testantur, bona uniuersa propter filium Dei & dari & conseruari hominibus. In eo namque pater cœlestis unicè delectatur, eum solum charũ habet, & propter dilectum, ut diuus Paulus inquit, nos quoq; diligit: miseriamq; & orbitatem nostram, filij patrocinio & tutela, nullis temporibus patitur esse inopem atq; desertam. Non hic antiquitatis memoriam, ad confirmandum, neque alterius ætatis exempla afferam: sed quia mihi uobiscum

cum sermo est, Fratres, nostra repetam. Alienis enim propria magis afficiunt & mouent: & cæteri, si in suum quisque uitæ genus intuebitur, uel similia, uel multo inuenient maiora, magisq; illustria.

Atq; ut inde exordiar: Parẽtum nostrorum, à quibus alti & eruditi sumus, meministis. Scitis qualis in ipsorum uita, moderatio, qualis in educatione cura diligentiaq; fuerit: nullam litem, querelam nullam domi audiuistis: perspexistis in ijs odium leuitatis, mendacij, & omnis turpitudinis. Verùm pater suo quidem tempore sibi, sed nimis intempestiuo nobis, mortalem uitam cum immortali & beata permutauit, cùm annos puericiæ nullus uestrûm adhuc egressus esset. Relicta mater est, ipsa marito orbata, nos parente, summo utrique inter homines solatio destituti: matris fortunæ exiguæ, liberi multi, tempora difficilia. In tali mœrore & anguſtia etiã uiri animus frangi, aut certè debilitari potuisset. Itaque primus dolor, ut solet fieri, peracerbus ei erat, in quo animum amissi mariti studiosissimum facilè declarabat: sed magnitudinem luctus mitigauit constans in Deum fiducia. Magnum in muliere utrunq; erat, & præsentis ægritudinis moderatio: & ex concepta spe de promissionibus diuinis, animus non abiectus. Nos autẽ, onere educationis sibi impositi, diligentius & sæpius ad religionis cultum, ad amorem mu-

mutuum, ad cætera uitæ modestæ officia cohortata est: precibus insuper additis, ne nostro aliquo uitio aut solitudinem illi grauem, aut uiduitatem non tolerandam efficeremus, in ijs præterea studijs perseueraremus, quibus & nos ipsos consolari in omni fortuna, & alijs prodesse, si Deus uellet, aliquando possemus. Amabili igitur & religiosa auctoritate, à non inuitis, id quod uoluit, impetrauit: & suis ipsa precibus, quib. ardentissimè dedita erat, tantùm effecit, ut in re admodum exigua, neq; sumptus domestici ad honestatem, neq; amicorum liberalitas ad studia persequenda nobis deesset. alijs enim alia ratione, singulis tamen non incommoda prospectum fuit. Hac eius pietate, post obitum patris, annos ferè quindecim adiuti, tandem post miserrima belli ciuilis tempora, ipsam amisimus, summo dolore, maximo desiderio, memoria nunquã intermoritura. Quæ orbitas, ne aut molesta nimis, aut pernicioſa etiam esset, Deus benignissimus alios mox parentes dedit, natura quidem alienos, sed beneuolentia coniunctissimos: quorum opera & beneficijs inchoata artium & literarum studia hactenus colere, & ijs colere in locis potuistis, quibus non modò antiquæ & salutaris doctrinæ præceptis, sed uirtutum quoq; præstantissimarum exemplis abundaretis. Prolixior fortasse hæc commemoratio fuit, quàm debuit, aut quàm res ipsa postu-

Epistola.

postulauit. Verùm alij, uel nostra ad se nihil pertinentia omittant: uel sua, si cui cordi est, in illorũ locũ reponãt. Vos uerò ex cursu actæ iam adolescentiæ, singularẽ Dei bonitatem, in nos effusam, uolui considerare. Quanti enim putatis, in pia familia, in ludis literarum, in regno Christi nutriri, crescere, educari? Præclarũ alij duxerint, in Regis alicuius aula se pueros uersatos esse: honorificũ fuerit Catoni, magnificentiã Syllæ felicis domi familiariter inspexisse: quæ ut ad uitæ splendorẽ, aut dictorum ostentationẽ faciant aliquid, ad pietatem uerò & innocentiã quæso quid momenti habent? nec Catoni ipsi, aut ambitiosi magistri studiũ, aut potentia amici iniusta potuit probari. Hortor aũt uos, Fratres suauissimi, ut magnorum Dei beneficiorũ memores, cùm præteritæ uitæ rationẽ, tũ futuræ felicitatis spem, in uno solo q̃ Deo, eiusq̃ filio IESV CHRISTO collocetis: in eiusq̃ meritis recolendis assidui sitis, & ardentes, fide scilicet & inuocatione: ad quæ ut & meipsum, & uos simul excitarẽ, hos Hymnos perbreues, de Iesu Christi beneficijs, quæ sua morte in nos contulit, perscripsi. Nouum hoc laudis & celebrationis genus minimè est, sed à primis patrũ temporib. ad nostrã usq̃ ætatẽ floruit. Quin apud Athenienses Plato pueris præcepit, ut dijs hymnos canerent, & (ut ipse inquit) ἐγκώμια κεκωνημένα σὺν χῶρ: tum poetas ὑμνῳδὸς appellauit. Cretenses

non

non canere modò ipsos, uerumetiam memoriæ infigere carmina eiusmodi rex Minos uoluit. Horatius ad Augustũ Cæsa ẽ locuples testis est, eandẽ canendi consuetudinẽ Romanis quoq; fuisse usitatam. Itaq; Hymnorum usus, cùm & Ecclesiç perpetuus, & ciuitatibus bene constitutis fuerit peculiaris, retinendus omnino est uel ob hanc causam: ne aut Orpheus, aut Homerus, aut Callimachus, in fabulis extollendis, quàm nos in ueri Dei laudibus cõcinendis, fuisse diligentiores atq; ardentiores uideantur. Hos autem tres meorum Hymnorum libellos ad uos Fratres optimi mitto, ut sint curæ & sollicitudinis meæ, quam de absentium uita, moribus, disciplina, mecum circumfero, quasi monumentum.

Quòd si uerum Dei cultum, ut cœpistis, & inuocationem assiduam, cum artibus bonis & studijs liberalibus coniungetis, non modò præsentis uitæ multa & sincera solatia habebitis: uerumetiam in societate cœlesti fructus uberes atq; sempiternos omnium laborum & certaminum consequemini. Quod ut nobis omnibus per filium suum IESVM CHRISTVM largiatur Deus, tota mente atq; omni affectione uobiscum precabor. Valete. Missenç Hermundurorũ, è ludo illustri: Idib. Ianuarij, Anno nati Christi

M. D. LII.

GEOR-

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS, DE Historia & meditatione mortis Christi, quæ in noctis dieiq; tempus distributa est,

HYMNORVM Liber primus.

Crepusculum.

PRIMA PARS NOCTIS.

Historia Triclinij.

CHRISTVS COENANS *cum Apostolis.*

Esa. LIII. Oblatus est, quia ipse uoluit.

HORA SEXTA.

PAschalis agnus interit,
Se Christus agnus obtulit,
Qui corpus atq; sanguinem
Suis fruendum præcipit.
In pane corpus porrigit,
Præbet cruorem in poculo:
Hoc ut sit indelebilis
Signum perenne fœderis.
Da Christe carnem sic tuam,
Tuum cruorem sumere,

Vt uitam in æternam fide
Alamur omni tempore.
Nil afferat torpentibus
Obliuionem sensibus,
Quin efferamus debitis
Laudes tuas præconijs.

CHRISTVS LAVANS pedes Apostolorum.

Ioan. XIII. Exemplum præbui uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis.

HORA SEPTIMA.

LAuat magister turbidis
Christus pedes Apostolis:
Seruit suis, in omnibus
Volens necessitatibus.
Noli tumente pectore
Exempla Christi spernere:
Hic usq; noster ad crucis
Aram minister factus est.
Fœdos reatus ablue
O' Christe, nosq; respice,
Vt ambulemus in tuis
Non desides uestigijs.
Da comitate, mutua
Vt leniamus uulnera:
Deterreatur charitas
Nullis ministra sordibus.

CHRI-

CHRISTVS APOSTOLOS docens, & pro ijs orans.

1. Ioan. 11. Aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum, iustum: & ipse est propitiatio.

HORA OCTAVA.

TRistem timorem pellite:
In me, Patremq; credite:
Sum uita, ueritas, uia,
Et spes salutis unica.
Sum uitis, & uos palmites:
Efferte fructus uberes.
Vos mundus odit: at Pater
Cœlestis ipse diligit.
Hunc inuocate per meum
Nomen, sacrum qui spiritum
Demittet: is contra mala
Vos roborabit omnia.
Te sancte, te uoco Pater,
Nato tuo da gloriam:
Et quos dedisti, quos dabis,
Pios ministros protege.
Vno perenni & mutuo
Iungantur omnes uinculo,
Fungantur & Pater tua
In sempiternum gloria.
Pater, dedisti quos mihi,
Mecum, uolo, sint singuli:
Eos ama, ante condita
Vt diligis me secula.

Conticinium.

ALTERA PARS NOCTIS.

Historia Horti.

CHRISTVS EXIENS IN *montana Oliueta.*

Psal. XXII. Ne discesseris à me, quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adiuuet.

HORA NONA.

TRans Kidron Heros exijt,
Montemq; Olueti petit,
Mœrens, amicis cum tribus,
Certaminis non inscius.
Noctis potestas emicat,
Furorq; gliscit improbus,
Vnum miserrimi caput
Telis petitum est omnibus.
Tu Christe nostros dirige
Gressus, acerbo tempore.
Pergamus, & malum tuo
Vincamus omne numine.
Visnoctis hinc eat: nigri
Metus facessat Tartari.
Hostis, potente dextera,
Ignita frange spicula.

CHRISTVS ORANS *& sudans.*

Psal. XXXVIII. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.

HORA DECIMA.

ANgore turbatus necis
Patrem rogat suspirijs,
Opemq; cœlo, crimine
Nostro grauatus, flagitat.
Cui mortis in certamine
Cruor fluebat corpore,
Tellus madet sui gemens
Heu conditoris sanguine
A Patre perfert, Angeli
Vox læta, spem solatij.
Audit parentis subditus
Mandata sancti filius.
Repelle non placabilis
O Christe terrores necis,
Mentes pauescant horrida
Nec inferorum nomina.
Sancto tuo nos Angelo
Solare, confirma, iuuat
Mordet seuera sauciæ
Cùm culpa conscientiæ.
Ne murmuremus, cùm malis
Vexamur, aut periculis:
Sed sit uoluntatem sequi
Tuam uoluptas pectori.

CHRISTVS A IVDA DISCIpulo proditus, & à reliquis fuga desertus.

Psal. XXXVIII. Amici mei & proximi mei eregione plagæ meæ steterunt.

HORA VNDECIMA.

A

MVlto uenit satellite
Iudas, magistrum prodere:
Pacis scelestus improba
Fallacis offert oscula.
Armate Petre quid fero
Mucrone sæuus irruis?
His sponte, pro te, proq; me
Christus ligatur uinculis.
Ensternit uno militum
Verbo globos furentium:
Obducit & recentia
Auris resectæ uulnera.
Fugam capessunt turbidi
Illuc & huc Apostoli.
Quem trahunt immania
Raptam luporum guttura.
Tu Christe frange subdola
Hypocritarum pectora:
Hostes apertos numine
Tuo potenter contere.
Pios ab armis impijs
Tuere, sumptaue excute.
Nec territi dent hostibus
Tergum fugæ prementibus.

Nox

Nox intempesta.

TERTIA PARS NOCTIS. Historia coram Pontificibus.

CHRISTVS VINCTVS, ET adductus ad Annam.

Zach. XIII. Framea suscitare super pastorem meum, & super uirum cohærentem mihi.

HORA DVODECIMA.

LVrcatur Annas helluo
Insomnis in conuiuio,
Christi prehensi innoxium
Haurire lætus sanguinem,
Christus rogantis ebrium
Verbo retundit impetum.
Prorumpit hinc sus aulicus
In ora compingens manus.
O Christe, solue uincula
Nostri reatus omnia,
Queis dæmon & mors tristibus
Nos alligauit nexibus.
Ab aulicorum uerbere
Tuos ministros asserc,
Cùm nomen ob tuum pia
Laborat innocentia.

CHRISTVS ACCVSATVS, & suam confessus diuinitatem coram Caipha.

Psal. xxii. Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam.

HORA PRIMA.

AD Saducæi Caiphæ
Christus tribunal sistitur,
Et ore falsorum reus
Clamatur esse testium.
Verumq; iussus in sui
Fari parentis nomine,
His ora dictis libera
Incepit Heros soluere:
Dextram ad Dei uidebitis
Sedere, quem nunc luditis,
In nubibusq; criminum
Cœli redire uindicem.
Mox ueste scissa pontifex,
Furore correptus, tonat:
Hic morte dignus, Caipham
Secuta turba, id comprobat.
Hos perde Christe, qui malis
Pios grauant mendaciis:
Nos uera da loqui tuo
Pro glorioso nomine.
Vt te tuentes arduæ
Sedem tenere dexteræ,
Non horreamus iudicem,
Sed sanctum adoremus patrem.

CHRISTVS NEGATVS à Petro apostolo.

Esaiæ

Esaiæ XLII. Calamum quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet.

HORA SECVNDA.

VItam paratus ponere
Sui magistri pro nece,
Et ense primam fortiter
Petrus cohortem sustinens:
Capti magistri tristia
It pone post uestigia.
Sublata spes est, masculo
Inane pectus sanguine.
Te nosse Christe pernegat,
Verbo puellæ territus:
Gallíq; rauco carmine
Leo fugatur feruidus.
Verbi memor quod dixerat,
Vultuq; Christi concitus,
Guttis dolendo pallida
Humectat ora grandibus.
Serua tuos, audacibus
Ne Christe fidant uiribus.
Occasiones omnium
Auerte mitis criminum.
Lapsos benigno respice,
Nostri misertus, lumine:
Fides tenax ab intimis
Suspiret ad te sensibus.

Diluculum.

QVARTA PARS NOCTIS, Historia Christi in domo Caiphæ.

CHRISTVS MINISTRIS PONtificijs in custodiam traditus.

Psal. xxxi. Factus sum tanquam uas perditum, quoniam audiui uituperationem multorum.

HORA TERTIA.

SEruandus, heu, Christus leui
Datur ministrorum gregi,
Quem Pontifex in ocio
Pascit culinæ sordido.
Quid castus inter improba
Non passus est ludibria?
Potantium lasciuius
Nil est sacerdotum ædibus.
Da Christe nos cœlestibus
Custodiendos Angelis:
Illis ministri impia
Vincamus ut consortia.
Acerba ferre nos tuo
Quòd si iubes pro nomine,
Sis ipse custos, & pia
Præsto tuis clementia.

CHRISTVS LVDIbrio habitus.

Esaiæ

Esaiæ L. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.

HORA QVARTA.

Illuditur procacibus
Christi pudor conuicijs,
Clamantiumq; turpia
Perfert silens opprobria.
Spurcantur ora, squallidæ
Malæ crepant sub uerbere:
Frequens scelestorum sacra
Errat manus per tempora.
Nos Christe si uis aspera
Pro te pati ludibria,
Mentes uiriles adijce
Amara cuncta spernere.
Disperde te colentium
Hostes superbos cœtuum,
Quos impiorum nutriunt
Aulæ proteruæ præsulum.

CHRISTVS VELATA FACIE palmis percussus.

Esaiæ LIII. Quasi absconditus uultus eius, & despectus, unde nec reputauimus eum.

HORA QVINTA.

Miscent prophanis improbi
Intorta uerbis uerbera,
Pulsataq; ora linteo

Obnu-

Obnubilant uilißimo.
Nomen prophetæ iactitans,
Dic Chriſte, quis te uerberet?
Dic, & ſolutus triſtibus,
Clemant, abibis uinculis.
O Chriſte, culpam criminum
Indignus omnem tollerans,
In perferendis fortia
Iniuriis da pectora.
Sophiſtico uclamine
Nunc ora qui teguntur tua,
Fac impediti proprijs
Irretiantur artibus.

Mane.

PRIMA PARS DIEI.

Hiſtoria Chriſti accuſati coram magiſtratu Eccleſiaſtico & ciuili.

CHRISTVS CONCILII SENtentijs damnatus.

Pſal. xxii. Circundederunt me uituli multi, tauri pingues obſederunt me.

HORA SEXTA.

VT extulit primo iubar
Aurora mane pallidum,
Mundi arbiter, ſubſellia
Stat Chriſtus ante iudicum.

Vt

Vt impium quendam in Deum,
Quòd se Deo asserit satum,
Doctor, Senator, Pontifex,
Ipsum necis damnant reum.
Refert iniquam pœnitens
Iudas uiris pecuniam:
Insontem, eheu, parcite
Emistis, inquit, sanguinem.
Nihil morantur improbum,
Sed comparant nummis agrum.
At proditor de pendula
Se strangulans obit trabe.
Dum mundus ob nomen tuum
Nos ut cadauer eijcit,
Ne terreamur impia
Tu Christe fac sententia.
Delicta neſcientibus
Ignoſce clemens hoſtibus:
Sed obſtinata ſentiant
Pœnas nocentum pectora.

CHRISTVS CORAM PILATO præſide Romano accuſatus.

Pſal. xxii. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.

HORA SEPTIMA.

AGit moloſſus Caiphas
Pilate ſaltus in tuos
Ceruam, latebris excitam

Primo

Primo diei tempore.
Iudæus horret præsidis,
Ne polluatur atrium:
Parat malignis interim
Cædemq; iumq; mentibus.
In immerentem publica
Christum feruntur crimina.
Regem fatendo se, nihil
Obiecta curat relliqua.
Vocem Pilati percipe
Ebræe surde præsidis,
Ter clamat: Hic est nullius,
Quod fingitis, mali reus.
Te nostra Christe uox rogat,
Suspirat ardor pectoris,
Da permeemus omnia
Fatendo te pericula.
Da ueritatis splendidum
Vbiq; lumen fulgeat,
Vt uerus es rex ac Deus
Colare sic ab omnibus.

CHRISTVS IN VESTE BYSSINA AB HERODE ANTIPA ILLVSVS.

Psal. LXIX. Improperium contriuit cor meum, & mœrore confectus sum.

HORA OCTAVA.

CHristum ligatum ducere
Pilatus Herodi iubet:

Fiunt

Fiunt amici, hostilia
Vulpes leoq; nomina.
Inundat huc latrantium
Grex, ceu dato signo, canum:
Vnius agni simplicis
Caput trahendum quæritur.
Nullum tyranno uerbulum
Christus respondens effero,
Dimittitur mox regia
Illusus inde sindone.
In nos potestatem malis
Ne largiaris hostibus:
Sit tuta Christe sub tua
Infirmitas potentia.
Eosq;, contra qui sacram
Consentiunt Ecclesiam,
Disperge spreti patrio
Vt exules agant solo.

Ante meridiem.

SECVNDA PARS DIEI.

Historia damnati à Pilato Christi.

CHRISTVS A' COHORTE Prætoria uirgis cæsus, purpura præsidiali indutus, & spinis coronatus.

Isa. LIII. Pœnas nobis salutares persoluit, & liuore eius sanati sumus.

HO-

HORA NONA.

Christo nefandum præferunt,
Insana plebs sicarium,
Eiusq; sanguinem suos
Optant piare liberos.
Stat expeditis barbarus
Crepatq; lictor fascibus,
Obnubit & sæuus sacra
Spinis acutis tempora.
Fucata mox inducitur
Ostro chlamys Sidonio,
Eiq; pro sceptro datur
Harundo glauca regio.
Flexoq; adoratus genu
Verbis superbis luditur:
Vultus saliua sordidus,
Pugnis proteruis tunditur.
Spinas, flagella, pro meo
Qui pertulisti crimine,
O Christe sana liuido
Infirma cuncta uulnere.
Non fracta cedat asperis
Formidolosa mens probris,
Vincat sed audax in tuo
Quicquid malorum nomine.

CHRISTVS BAIVLANS CRVcem, ad supplicium ductus.

Esa. LIII. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.

HO-

HORA DECIMA.

EN baiulus Christus suæ
Crucis grauatur pondere,
Peccata portans omnium
Innoxius mortalium.
Effundit ad spectaculum
Se tota ciuitas nouum,
Matresq; flentes candida
Fœdant secantq; pectora.
Ne flete, Christus, asperæ
Hoc, inquit, exemplum necis:
Lugete propter horrida
Ventura uobis tempora.
Procedit ad pœnæ locum,
Et alta scandit Golgata.
Duo latrones tristibus
Eum sequuntur passibus.
O agne, nate uirginis,
Delicta nostra qui luis:
Ignosce, tolle, contege
Commissa prauis crimina.
Nostram tuo cotidie
Crucem feramus numine,
Donec fruamur patria
Tecum beati gloria.

CHRISTVS CRVCIFIXVS.

Ioan. III. Exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam.

HORA VNDECIMA.

Afigitur Christus cruci
Inter scelestos arduæ,
Vt Mosis anguis æneus
Alto leuatur stipite.
Hic ille rex & pontifex,
Hæc illa patris uictima,
Dentis uenenati leuat
Morsus nocentes sanguine.
Nudus, cruentus, squallidus,
Ferroq; traiectus manus,
Pacem poposcit inscijs
Et impetrauit hostibus.
Celsam supra stant arborem
Magnæ necis præconia,
Contraq; nos quod editum
Deletur hic chirographum.
O Christe mitis & bonus,
Ignosce delinquentibus:
Nos culpa, pœna te premit,
Placare confitentibus.
Non ultionis acribus
Mens concitetur ignibus:
Non illa quærat alteram
Te derelicto copiam.

Meridies.

TERTIA PARS DIEI.
Historia Christi iam crucifixi.

CHRISTVS IN CRVCE
conuicijs laceratus.

Psal. xxii. Omnes uidentes me, deriserunt me: distenderunt labia, & mouerunt caput.

HORA DVODECIMA.

A Turba acerbis tunditur
Fœdissima conuicijs,
Distentus excelsa trabe
Toto crucatus corpore.
Non scriba, miles, non latro
Dei pepercit filio:
In immerentis, omnium
Linguæ diserta, opprobrium.
Non sustinens sol aurem
Hoc conditoris dedecus,
Caliginosis pallidum
Caput tenebris occulit.
Tu Christe linguam per sacrum
Lapsam guberna Spiritum:
Vt in tuas sit perpeti
Facunda laudes tempore.
Tu uere Sol, in abdita
Diffunde lucem pectora:
Mentis corusco lumine
Cæcæ tenebras discute.

CHRISTVS IN CRVCE LAtronem suscipiens.

Ioan. xii. Ego si exaltatus fuero à terra, omnes trahã ad meipsum.

HORA PRIMA.

QVod lugeat, ſol inuenit:
Quod latro plangat, non habet:
Innoxium calumnijs
Vexat pudendis noxius.
Dum nemo cognoſcit Deum,
Dum nemo culpat ſe reum:
Dexter latro (mirùm) ſacro
Illuminatur Flamine.
Hic innocens, nocens ego,
Exclamat, & Chriſtum rogat:
Mei memento, cùm thronum
Rex poſſidebis aureum.
Mox audit: Hoc die noua
Mecum fruere patria:
Delicta tollit omnium
Se Chriſtus inuocantium.
Da Chriſte cuncta noſcere
Errata, noſq; reſpice:
Ne ſera quando termino
Fides labaſcat ultimo.
Tu iuſtus, immerens, bonus:
Nos inquinati ſordibus,
Peccamus, & peccauimus:
Ne tolle nos, ne perde nos.

CHRISTVS DOLORVM MAgnitudine exclamans, & Patri cœleſti ſe commendans.

Pſal. XXII. Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?

HO

HORA SECVNDA.

COnfectus indignissimis
Christus miserrimè modis:
Sentit furoris patrij
Iram, ferendam nemini.
Heu, quid Deus, Deus graui
Me deseris certamine?
Hæc ipse: Vulgus friuolis
Exultat amens uocibus.
Sitim leuaturo datur
Infecta aceto spongia.
Quam respuens: Iam nunc, ait,
Peracta sunt mecum omnia.
Demisit ut labens caput,
Audita uox est ultima:
Nunc in tuam, Pater, manum
Commendo supplex spiritum.
Tu Christe nostra prælia
Dux atq; rector adiuua;
Nostram salutem qui sitis,
Perfunde sicca pectoris;
Vt cùm breuis fragillimus
Exactus æui terminus,
Tradamus in tuum sinum
Vitæ solutæ spiritum.

Vespera.

QVARTA PARS DIEI.

Historia Christi mortui.

CHRISTVS MORTVVS.

Esaiæ LIII. Excisus est de terra uiuentium, propter scelera populi mei uulneraui eum.

HORA TERTIA.

AB orbe cæsus condito
Nunc Christus agnus mortuus;
Caput draconis, inclitus
Partus puellæ conterit.
Iam uitæ functis reddita,
Aperta clausis ianua:
Adæ scelus quod perdidit,
Christus luendo rettulit.
Velata templi protinus
Panduntur alti limina;
Sublatus est legis rigor,
Floret per orbem gratia.
Tellus debiscit, saxeæ
Cautes fatiscunt murmure,
Clausæq; mortis obice
Patent sepulchrorum uiæ.
O Christe, morte qui tua
Mortis tyrannum subiugas,
Crucisq; signum lucido
Infers triumphator polo.
Da mortis atq; dæmonis
Nos arma per te uincere:
Cœlestibus thronis tuas
Cantemus ut uictorias.

CHRISTVS A NICODEMO Phariſæo, & Ioſepho Decurione ſepultus.

Eſaiæ LIII. Sepultus eſt, ſicut impii: & mortuus, ſicut diuites.

HORA QVARTA.

Rex atq; Pontifex nouo
Chriſtus ſepulchro conditur,
Opemq; Doctori pio
Pius Senator attulit.
Tremunt miniſtrorum manus,
Muſſant patres, flent fœminæ:
Contraq; ſpem ſpe credula
Nituntur, & perſtant fide.
Durate fida pectora,
Mox ueſtra Chriſtus gloria
Reſurget, & fletus ſua
Tergebit ipſe pollice.
Da Chriſte, ne ceſſent piæ
Tibi miniſtrantum manus,
Noſtramq; deleri ſine
Nullo fidem certamine.
Nos & ſepultos in tuam
Vndis ſalubribus necem,
Da non caducæ cernere
Hæreditatem patriæ.

CHRISTVS IN SEPVLchro quieſcens.

Matth. XII. Quemadmodum fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus ac tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ.

HORA QVINTA.

Corpus quiescit impio
Circundatum satellite:
Sed uiua uirtus, intima,
Christi, refringit Tartara.
O lata sabbathi quies,
O fausta mortuis dies:
Qua iura Ditis ac necis
Vno subacta tempore.
Nec mole corpus conditum
Diu premetur saxea:
Perrumpet Heros, & feret
Sperata mundo munera.
Tu Christe da mortalibus
Membris, quiescendi locum:
Mentiq; mortis in graui
Agone, uincendi modum.
Vt corpus & mens fulgidis
Simul recepta sedibus,
Inter choros cœlestium
Agat perenne Sabbathum.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS, DE VINculis uerbisq; Iesu Christi proditi & morituri,

HYMNORVM Liber II.

IESV Christi Capti & producti agon bissenus.

HYMNVS I.

CHRISTVS DVCTVS EX horto ad Annam, Caiphæ socerum.

Psal. LXIIII. Arcum intenderunt amaritudinis, ut feriant ex insidiis innocentem.

Pro Patientia.

H dira noctis tempora,
Queis uenditus uili Deus
Argento, ad impij domum
Ligatus Annæ ducitur.
Cui sistitur spectaculi
A plebe uesana loco,
Delirus ex capto senex
Vt hosti ferret gaudium.
Orans in horto proditur,
Loquens in aula luditur,

Non tuta uera ſanctitas,
Deſpecta nuda eſt ueritas.
O' Chriſte noctis omnia
Arce profundæ nubila,
Ne nos poteſtas hoſtium
Captiuet, aut fraus dæmonum.
Hoſtes uicißim nominis
Fiant tui ludibrium:
Preces uocantum reijce,
Fletus gementum reſpue.
Tu noſtra corda abeneo
Inuicte firma robore,
Probrum parati pro tua
Feramus omne gloria.

HYMNVS II.

CHRISTVS DVCTVS AD Caipham pontificem maximum.

Pſal. XLII. Verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me.

Pro iuſta uindicta.

AB hoſte ad hoſtem, perfidis
Raptatur à latronibus:
Furit ſuperba concio.
Inſultat audax pontifex.
Non uult doceri, nec Deo
Sibi loquenti credere:
Perdendam ad innocentiam
Teſtes iniquos comparat.

Non

Non ſcinde ueſtis purpuram,
Sed finde ſaxum pectoris.
Feritur os ſanctiſſimi,
Salus laborat optimi.
Non ceſſat ullo tempore
Hæc Chriſte uox calumniæ.
Integritatem callida
Sæpe opprimunt mendacia.
Noſtras querelas in tuum
Cùm fundimus preſſi ſinum,
Tu iuſtior iudex, opem
Affer bonam dolentibus.
Noli ſilere, iniurios
Retunde, uanos increpa,
Vt uerus in tuis Deus
Appareas ſermonibus.

HYMNVS III.

CHRISTVS DVCTVS IN ueſtibulum carceris, à lictoribus pontificijs uexatur.

Thren. III. Dabit percutienti ſe maxillam, ſatiabitur opprobriis.

Pro libertate.

QVid ſerue uinctum, eheu tuæ
Oblite uexas compedis?
Quem carpis, in quem conſpuis,
Vt liber ipſe ſis, adeſt.
Hic ſeruitutis ferreæ
Refringet omne uinculum:

Manus

Manus in hunc credentium.
Nemo cataſta clauſerit.
Aut forte ſi quis clauſerit.
Ipſe impeditus, inſcius,
Neruum ſubibit, & Deum
Serò aduocabit uindicem.
Nil grex mouetur perditus,
Pugnis ferus, ſude impetens,
Diducit os, linguam exerit
Conuiciorum prodigam.
O Chriſte factus omnium
Pro labe noſtra opprobrium,
Si quid ferendum eſt aſperi,
Aequum miniſtra ſpiritum.
Quòd ſi manus in hoſtium
Quandò damur furentium:
Ades uolens, & eripe
E ſeruitutis carcere.
Heu quanta ſunt, & quàm grauis,
Delicta noſtra, ſeruitus:
Hanc aufer, & da liberos
Tuâ frui nos gratia.

HYMNVS IIII.

CHRISTVS DVCTVS AD MAgiſtratum Ebræum, à ſacerdotibus & senatu hoſtis Eccleſiæ iudicatur.

Pſal. CXVIII. Circundederunt me ueluti apes, ſunt extincti ut ignis ſpinarum.

Pro

Pro confessionis constantia.

Affligitur cùm quis bonus,
Gestit furenter impius:
Hoc Christus exemplo suæ
Prælucet ipse Ecclesiæ.
A concione publica,
Quam cum senatu Pontifex
Cogit, rogatus se patris
Dei fatetur filium.
Voces ob has audacibus
Damnatus est sententijs,
Omnes in unum congerunt
Caput, suas calumnias.
Sis Christe uox & cor mihi
Tuum per almum Spiritum,
In te fatendo, cùm pio
Non est locus silentio.
Proiecta spes ne fluctuet,
Pauor nec ullus obruat,
Danda est salutis laus, tuo
Cùm glorioso nomini.
Sin sermo nostræ atrociter
Confessionis spernitur,
Læti quiescamus tua
Vnius in sententia.

HYMNVS V.

CHRISTVS DVCTVS AD PILAtum, præsidem Romanum, accusatur prophanitatis & perduellionis.

Psal.

Psal. xxxv. Insurgentes testes mendaces, quæ ignorabam, interrogauerunt me.

Pro conseruatione regni Dei.

Nil est furore tetrius,
Nil cæcitate insanius,
Iudæa qua gens in suum
Commota fertur principem.
Intentat ante præsidem
Audita nulli crimina,
Vt impio, utq; turbido,
In Cæsaremq; iniurio.
Nec ille se regem tamen
Negat Pilato: In hoc, ait,
Sum natus, ut testem Dei
Me ueritatis præbeam,
O Christe rex regum, Deus,
Deiq; natus unicus,
Ipsa agmina inter hostium
Regnum astruens serua tuum.
In quo sacer Dei uigor
Sustentat: in quo faustitas,
Pax, criminum remissio,
Vitæ beatus exitus.
In ueritate, & in fide,
In spe futuræ gloriæ
Degamus, ut simus throni
Olim cohæredes tui.

HYMNVS VI.

CHRI-

CHRISTVS DVCTVS AD HERODEM, Galilææ tetrarcham, irridetur ut præstigiator aut ludio.

Psal. 11. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unũ, aduersus Dominum, & Christum eius.

Pro uictoria contra hostes.

HErodis ad palatium
Iussu Pilati mittitur:
Vt qui colubrum fugerit,
In os draconis incidat.
Signum proterue ludicrum
Scurrili ab aula poscitur:
Se reprimens, nullum adicis
Verbum respondet lubricis.
Amictus alba sindone,
A' rege, seruis, agmine,
Gestans honores, exterũm
Insigne regum, luditur.
Coacta in unum cũm fremit
Hostilis insolentia,
Sis Christe fidum in asperis
Ipse ipse propugnaculum.
Respondeamus inuidis,
Cedamus impijs nihil.
Cũm sæua fiunt fœdera,
Formido nulla terreat.
Et queis abominatio
Propter tuam sumus fidem,

Rid

Ride uicißim, & fictiles
Argillæ ut urnas contere.

HYMNVS VII.

CHRISTVS REDVCTVS AD Pilatum, plebis conuicio latroni Barrhabæ posthabetur.

Esaiæ LIII. Inter iniquos numeratus est.

Pro fuga erroris.

CHristum Pilatus soluere,
Vt innocentem concupit,
Illataq; à primoribus
Excusat ipse crimina.
Procle maritum commonet,
Omitte iustum perdere:
Vincit sacerdotum scelus,
Vulgiq; clamor inuidus.
Stulti patris natum improbum
Nexu exuit sicarium,
Christumq; damnat non aquis
Cædem, cruoremq; ablues.
Sis Christe inexplicabiles
Præsens euntibus uias:
Ne terror aut error, boni
Aequi ue flectat tramite.
Sumus parentum nos quoque
Mali malorum filij,
Et optimum ac leniſsimum
Patrem reliquimus Deum.

Per

Per sanguinem tollens tuum
Omnem reatus noxiam,
Statum priorem transfugis
Redde, & salutem perditis.

HYMNVS VIII.

CHRISTVS DVCTVS IN Prætorium, à milite barbaro plagis seruilibus afficitur, ornatusq; diademate & purpura irridetur.

Esa. L. Corpus meum præbui percutientibus, & genas meas uellentibus.

Pro liberatione.

QVid miles iræ uel probri
Omisit immanissimus?
Christus secaretur feris
Cum sicut agnus à lupis.
Fulgenti amictus purpura,
Fixusq; rhamno tempora,
Gestansq; dextra harundinem
Sannis amaris luditur.
Nihil per artus singulos
Sincerum & integrum fuit,
Nec uulneri uulnus locum
Toto reliquit corpore.
A feruidis ut liberes
Te nos precamur hostibus:
Quos uis atrox, & barbara
Delectat indignatio.

Vibice ſanati tua,
Puroq; loti ſanguine,
Acres, fideles, impigri
Iuſſo uacemus muneri.
Quòd ſi tuo laus debita
Danda eſt uerbo atq; nomini,
Non horreamus ullius
Aut mortis, aut pœnæ genus.

HYMNVS IX.

CHRISTVS DVCTVS E' Prætorio, ad crucis ſupplicium poſcitur.

Eſa. LIII. Vidimus eum abiectiſsimum hominum, uirum dolorum, & expertum infirmitatem.

Pro beneficiorum Dei memoria.

ROmanus innocentiæ
Chriſto fidelis teſtis eſt:
Sed nulla pœna, nulla uox
Dementem Ebræum mitigat.
Virgis, flagro, ſpinis, fude,
Homo ecce, ſi foret nocens,
Scelus tuliſſet unus hic,
Inquit Pilatus, omnium.
Tunc excitata protinus
Inſana clamat concio:
Hunc tolle, tolle, ſe patris
Summi fatentem filium.

Te Christe mundus cùm frementes
Vexat ministris in tuis,
Nostras manus tu contine,
Mentemq; & ora dirige.
Grati celebremus tua
Per omne tempus munera,
Nec pectori fida excidat
Obliuioso lenitas.
Te prædicemus in bonis,
Te deprecemur in malis.
In morte, uita, mens tuam
Alacris imploret fidem.

HYMNVS X.

CHRISTVS IN PRAETORIVM reductus, de ortu suo interrogatur.

Psal. 11. Nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.

Pro animositate.

VT turba clamauit, satum
Dixisse Christum se Deo,
Torquetur intus præsidis
Intenta curiositas.
Vnde, & quis esset, quo patre,
Hærens pauensq; interrogat:
Nihil respondenti suam
Vanc obijcit potentiam.
Cui Christus: Haud ulla est, nisi
Solo potestas à Deo.

Quo protegente, inanijs
Inaniores sunt minæ.
Mundi potestas maximis
In nos ruit cùm uiribus,
Nocere Christe fac nihil
Vt possit imbecillibus.
Largire fortitudinem
Nullis mouendam machinis.
Te non uolente, unum quidem
Hostis pilum nec mouerit.
Reges & ipsi nosse te,
Tuamq; discant gloriam,
Ad cuius olim singuli
Stabunt tribunal supplices.

HYMNVS XL.

CHRISTVS DVCTVS IN GABbatha, obiectu Cæsarianæ potentiæ, à præside occidendus militi traditur.

Psal. XXII. Circundederunt me uituli multi, tauri Basan circumuallauerunt me.

Pro bona conscientia.

PIlatus, incertus sui,
Metu laborat duplici,
Foris pauore Cæsaris,
Intusq; conscientiæ.
Quem, propter excusauerat
Integritatem sæpius,
Eum neci, fractus minis,
Nunc immerentem destinat.

Flet

Heu quid facis? te uindicem
Probo, ſceleſto iudicem,
Vult Cæſar eſſe: credere
Turbæ furentium fuge.
Nil obſtet, impellente nos
Vulgo, tremoris, quin uiam
Rectam ambulemus: plus homo
Poßit caducus ne Deo.
Quando laborat ueritas,
Pugnare ſimus ſtrenui,
Vt labe turpi libera
Sit noſtra conſcientia.
Sin hæc quoque angit plurimo
Contaminata crimine,
Da ſentiamus in tuo
Opem, leuamen uulnere.

HYMNVS XII.

CHRISTVS DVCTVS IN Caluariæ collem, inter latrones medius de gabalo ſuſpenditur.

Ioan. 1. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Pro fidei incremento.

INfandus oppreſſa furor
Deſæuit innocentia:
Templo, oppido, prætorio
Chriſti exulat præſentia.

Cui post inenarrabiles
Vexationes crux datur,
Ad publicum pœnæ locum
Tergo ferenda proprio.
Simplex Cyrenes aduena,
Manum coactus admouet:
Christus dolentes fœminas
Tristi admonet præsagio.
Vt celsa uenit Golgotha,
Ligno trabali figitur
Inter latrones: omnium
Noxas ferens mortalium.
Natura luget, aureus
Sol conditur, tellus tremit,
Aether laborat: ferrea
Nihil mouentur pectora.
Incomparabili tuæ
Laus sit Deus clementiæ,
Qui nostra per chari crucem
Delicta tollis filij.
Aeterna Christe fœdera
Pacis, beatitudinis,
Nos inter & patrem Deum
Sancis sigillo sanguinis.
Paruam & labascentem sacro
Auge fidem spiramine,
Lætemur omni ut seculo
In sempiterna Ecclesia.

IESV

IESV CHRISTI IN CRVCE PRO SALVTE HVmana pendentis,

HEPTALOGVS.

HYMNVS I.

Lucæ XXIII. PATER, REMITTE ILLIS: NON ENIM SCIVNT QVID FACIVNT.

Esa. LIII. Pro transgressoribus orauit, Pro peccatorum remissione.

Christe, quos toto geris
Ictus cruentos corpore,
Hos nostra culpa plurimis
Tibi intulit pœnæ modis.

Sudor, flagella, uerbera,
Harundo, claui, lancea:
Sunt uerba, facta, & abdita
Mei reatus crimina.
Ad te sacerdos optime,
Et arbiter sanctissime,
Fœdi uenimus, supplices,
Pacem, salutem poscimus.
Stigmenta purga, nos sacra
Patriq; commenda prece:
Te deprecante flebilis ..
Sumus repulsæ nescij.

Tu flecte patris pectora,
Ne noſtra plectat crimina,
Oppone delictis tuam
Benignus innocentiam.
Acerba ferre, ignoſcere
Iniurijs, non lædere
Diſcamus, & mites tuæ
Per ingredi ueſtigia.
Vt filij ſummi patris,
Chriſti ſecutores Dei,
Tandem beati gaudijs
Fruamur immortalibus.

HYMNVS II.

Ioan. XIX. MVLIER, ECCE FILIVS TVVS, ECCE MATER TVA.

Ioan. XIII. Non relinquam uos orphanos.

Pro Eccleſiæ conſeruatione.

O Chriſte, curam ſedulæ
Qui non parentis abijcis,
Dum plena luctus, ſaucio
Gemit dolenter pectore.
Qui filiorum nos uocas
Fratrumq; dulci nomine,
Da caritatis uiuidam
Nobis tuæ ſcintillulam.
Cùm mactat orbis ob tui
Profeſſionem nominis,

Nos pastor ô fidissime
Oues relictas aspice.
De patris alti dextera
Vultu tuo nos assere:
Tuente cedunt te mala
Aduersitatum nubila.
Committe fidis ac bonis
Tuum gregem pastoribus,
Qui sint pares fidelibus
Affectione matribus.
Et nos sacrata cœlici
Adure flamma spiritus,
Illis ut obseruantia
Obtemperemus debita.
Vt te, tua salui fide,
Vero colamus pectore,
Nos donec ad prælucidam
Hinc euoces Ecclesiam.

HYMNVS III.

Lucæ XXIII. AMEN DICO TIBI, HODIE MECVM ERIS IN PARADISO.

Ioan. XVII. Pater quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum.

Pro uita æterna.

O Christe, cœlorum nece
Pandens apertam ianuam:
Quam culpa primi contumax
Olim parentis clauserat.

Ducens per illam tabido
Flentem latronem pectore,
Hora salutem qui tibi
Committit ultima suam.
Seruator & dux inclite,
Mentes pusillas erige,
Sperent ut à te tristibus
In omnibus solatium.
Dum gratiæ tempus datur,
Da pœnitere criminum:
Queis te die uno millies
Ingratitudo prouocat.
Te nos trahente maximis
Luctamur è periculis:
Nec lex, nec horror inferus
Damnare, quos tegis, potest.
Terrore mortis anxius
Quandò euolabit Spiritus,
Nostri memento, qui soli
Tenes superna patrij.
Viuamus ut tecum domo
Lucente cunctis seculis,
Et cum beatis angelis
Tuam canamus gloriam.

HYMNVS IIII.

Mar. XV. DEVS MEVS, DEVS MEVS, QVARE ME DERELIQVISTI.

Psal.

Psal. xxii. Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?

Pro victoria tentationum.

O Christe, cuncta perferens
Acris doloris uulnera,
Dum spina frontem, dum manus
Claui pedesq; perforant.
Imago mortis horrida
Dum te probrosæ territat:
Tristi querela dum Deum,
Deserta mens, Deum uocat.
O uictor inuictissime,
Nos imbecilles sustine,
Ne flamma uexatam premat
Inferna conscientiam.
Cum pugnat in nos omnibus
Sensus malorum uiribus,
Et criminum succumbere
Iam mens uidetur ponderi:
Te stante pro nobis opem
Fac sentiamus patriam.
Dum fixa cordis est fides,
Nequit Deus relinquere.
Virtute nos muni tua,
Infirma corda robora:
Est maximum cum maximis
Certamen illud hostibus.
Vt liberatus grex tuas
Olim sonet uictorias,

Ductor

Ductore te, ferens malo
Tot rapta tela dæmoni.

HYMNVS V.

Ioan. XIX. SITIO.

Psal. LXIX. Dederunt in escam meam fel, & in sitim mea potauerunt me aceto.

Pro consolatione.

O Christe, cuius uiua uis
Vt flos in agro concidit:
Exhausta cuius aridis
Os linguaq; hærent faucibus.
Non lympha sedauit grauem
Salubris aut potus sitim:
Herba est amara, & mucidi
Porrecta uini spongia.
O liberator unice,
Tua sitisti qui cruce
Nostram salutem, gratias
Da nos referre debitas.
Acerba pro datis bonis
Cùm mundus offert pocula,
Immitte cordibus tuæ
Sitim piam clementiæ.
Explente te uerbo tuo,
Solante Spiritu sacro,
Mel in suaue, quod fuit
Fastidiosum, uertitur.
Seruat tuam, da mutuam
Vicissim amandi te sitim,

Hanc

Hanc incitet fides, alat
Spes, augeat dilectio.
Vt post caduca flebilis
Transacta uitæ tempora,
Bibamus in cœlis tuæ
Nectar perenne gratiæ.

HYMNVS VI.

Ioan. XIX. CONSVMMATVM EST.

Ebr. x. Vna oblatio consummauit in perpetuum sanctificatos.

Pro Fide.

O Christe, tota qui miser
Vita, salutis perditum
Reddens honorem, per crucem
Admissa tollis crimina:
Exacta nunc sunt omnia,
Quæ per prophetas proditas
Lex mutit, infernus iacet,
Deuicta mors, cœlum patet.
Placator ô mitissime
Da nos fide hæc prehendere,
Et facta gratis mentibus
Hæc obstupenda tollere.
Constans sit in te prosperis
Ac tristibus fiducia,
Humanaq; imbecillitas
Quod non potest, id perfice.

Te subla-

Te ſubleuante, quidquid eſt
Vſquam moleſti uincitur:
Lætuſq; finis aſperis
Contingit in periculis.
Ne nos miſellos deſere,
Nec ob reatus abijce,
Quos eluiſti proprij
Miro lauacro ſanguinis.
Vt paſſionis & necis
Tuæ, ſalubri munere,
Aeui peracto termino
Omni fruamur ſeculo.

HYMNVS VII.

Lucæ XXIIII. PATER IN MANVS TVAS COMMENDO SPIRITVM MEVM.

Pſal. XXXI. In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus ueritatis.

Pro beata mortis hora.

O Chriſte, ſicut ſquallidæ
Fullonis unda, fuſus es:
Contritus atq; dexteris,
Vt uermis, es nocentibus.
Lacer cruento corpore,
Sectuſq; diro uulnere,
Committis in manus Dei
Parentis ægrum ſpiritum.

Redem-

Redemptor alme, me tuos
Prosterno supplex ad pedes,
O dulce mentis gaudium
Meis petitis annue.
Vt mortis in certamine,
Fiducia pari meum
Tradam in tuam custodiam
Vitæ fugacis spiritum.
Seruante te, de corpore
Abibo tutus, nec fores
Pauebo tristis inferas,
Nec mille pœnarum modos.
At redditus tua mihi
Die supremo gratia,
Ipse integer tecum integra
Florebo felix gloria.
Tuasq; laudes, & Patris,
Sacriq; Spiritus canam,
Et in frequenti gestiens
Te prædicabo Ecclesia.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS, DE EXAgitationibus & uulneribus Iesu Christi capti & crucifixi:

HYMNORVM Liber III.

Iesu

IESV Christi capti exagitationes.

I.

IN PALATIO CAIPHAE pontificis maximi.

HYMNVS I.

CHRISTVS ILLVSVS.

Lucæ XXII. Viri, qui tenebant Iesum, illudebant ei.

Pro custodia.

IEsu innocens fili Dei,
Honore dignus omnium,
Terrestrium, cœlestium,
Abyssus & quicquid tenet.
Inter ministros ebrios
Quid præsulum te conspicor?
Latet quid illa dignitas
Choris tremenda cœlicis?
Hæc ipse plenus criminum
Perferre debebam probra:
Vicem meam qui sustines,
Meis querelis annue:
Illusiones omnium
Spernam impiorum, qui mihi
Ob nomen infesti tuum
Fraudes struunt innoxio.

HY-

HYMNVS II.

CHRISTVS CONSPVTVS.

Matth. XXVI. Inſpuerunt in faciem eius.

Pro patientia.

EN uultus eminentior
Fulgore ſolis ignei,
In quem tuentur cœlites
Plauſu ſonante ſpiritus.
Ignotus, informis, malè
Turpatus à ſeruis malis:
Fronte atq; mento ſordidum
Pus & ſaliua perfluit.
Hyſſopus ille ſit meus,
Quo Chriſte ſparſus abluar
Immundo ab omni, pro meis
Quòd inquinate es ſordibus.
Vincam ferendo, quidquid eſt
Vſquam ferendum, neue ſim
Elinguis ad laudem tuam,
Aut ſurdus ad uocem, effice.

HYMNVS III.

CHRISTVS VELATVS.

Mar. XIIII. Cœperunt obtegere faciem eius.

Pro reuelatione.

O Sillud aureum, os ſacrum,
Lucem tenebris inferens,

Manu ligatum barbara
Obnubitur uelamine.
Qui cæcus est, lucis facem
Negat uidenti, & perpetrans
Opus tenebrarum, Deum
Se posse sperat fallere.
Adhuc obumbrant os tuum
Illi execrandi & perditi,
Qui Christe præponunt suæ
Tuis laboribus bona.
Hos, ne dolis bilinguibus
Quenquam prehendant, nosse da:
Tum blanda tu mihi exere
Viuenti, eunti lumina.

HYMNVS IIII.

CHRISTVS PERCVSSVS.

Matth. XXVI. Colaphos ei inflixerunt, alii autem fudibus eum ceciderunt.

Pro restitutione.

TErræq; cœloq; imperans,
Caput uerendum tunditur,
Quod ante procumbunt genu
Flexo Angelorum millia.
Pugnis procaces seruuli,
Apparitores fascibus,
Plagis in unum omnes caput
Lascuientes sæuiunt.
Has ferre plagas par erat
Meum hoc caput, quod à suo

Ex com

Et conditore & principe
Defecit, in castra hostium.
Sed Christe submittens tuum
Caput furentum dexteris,
Miti fauore in pristinum
Locas bonoris me statum.

HYMNVS V.

CHRISTVS INTERROGATVS.

Lucæ XXII. Vaticinare, quis est qui te ferüit? & alia multa conuiciantes, iaciebant in eum.

Pro silentio.

AEterna mens Patris, Deus
Rimans tuensq; abscondita,
Quot exprobrationibus
Amarulenté tangitur?
Non contumeliæ insciens,
Multiplicisq; uerberis
Christus tacet, nec asperis
Quidquam refert ludibrijs.
Tu Christe lustrans omnium
Sedem & recessus pectorum,
Queis me, uides, potentior
Subsannet hostis uocibus.
Promissionibus tuis
Fisus, probroq; excelsior
Da te sequar, spe pertinax,
Et fortis in silentio.

II.

IN AVLA HERODIS tetrarchæ Galilææ.

HYMNVS VI.

CHRISTVS CONTEMPTVS.

Lucæ XXIII. Herodes cum suo comitatu, eum pro nihilo habuit.

Pro magistratu.

VT fune Christus attigit
Raptatus, Herodis domum,
Ingens cachinnis atrium
Plausu & iocoso soluitur.
Mendicus iste sit Deus,
Dei aut propheta, rex ait:
Simplex quod inter Gnosticos,
Hoc ipsum in aula Christus est.
In hunc ut obseruent diem
Te Christe reges impij,
Notum est: ministris nam tuis
Nil orbe toto uilius.
At tu magistratum pium
Largire regnis, oppidis,
Qui te colat: te gaudeat
In aula, in urbe hospite.

HYMNVS VII.

CHRISTVS IRRISVS.

Lucæ XXIII. Herodes cum suo agmine, ei illusit.

Pro

Pro ſagacitate.

DVm poſcitur miraculum,
Mutusq; reſpondet nihil,
Vulpemq; hyænasq; aulicas
Nam Chriſtus intus nouerat
Inceßitur dicterijs
A nobile & ſatellite,
Exploditurq; ſibilis
A ſeruulis & milite.
Da Chriſte aperta lumina,
Tuos ut hoſtes nouerim,
Commune cumq; eis nihil
Vllo mihi ſit tempore.
Non ſermo, non commercium,
Non ulla uitæ munera:
Spernit Deum, qui cum Dei
Viuit libenter hoſtibus.

HYMNVS VIII.

CHRISTVS AMICTVS *ſindone.*

Luc. xxiii. Herodes amictum ueſte ſplendida, remiſit ad Pilatum.

Pro innocentia.

NOn inter impios pio,
Nec integro inter aulicos
Chriſto locus: propellitur
Clamore, riſu, ſcommate.
Hinc palla, mentito ut genus
Regis, dabatur byßina:

Te Christe tractat sic homo,
Cui sceptra das, cui purpuram.
O me impium, qui causa sum
Tanti doloris: sed tua
Fulto fide, da gratiam
Aeuum integrè decurrere.
Ne flectar à te deuius,
Tuaq; dextera excidam:
Vt ueste splendens candida
Tuum ante uultum gestiam.

III.

IN PRAETORIO PILATI Praesidis Romani.

HYMNVS IX.

CHRISTVS INDVTVS *purpura.*

Mar. xv. Milites abduxerunt eum intrò in atrio, quod est Prætorium, & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura.

Pro mundatione.

Herodiani sindonem,
Dat Roma Christo coccinum:
Ab usq; Eoo ad uesperum
Rex hic redemit singulos.
A tauro obœso incurritur,
Et dente uulpis morsus est:
Inter feroces iam lupos

Imbelis

Imbellis agnus carpitur.
Rex ſumme regum, inſignibus
Ornate pro me regijs,
Peccata, queis læſus, mea
Vincunt rubentem muricem.
Grandi fatiſcunt uulnere
Artus, ſalutis nulla ſpes,
Ni puriorem candida
Reddas coloratum niue.

HYMNVS X.

CHRISTVS GESTANS CO-ronam ſpineam.

Ioan. XIX. Milites plectentes coronam è ſpinis, impoſuerunt capiti eius.

Pro corona.

HEu quale nunc ſpectaculum
Mihi merenti ſiſtitur.
Regi Angelorum & ætheris
Chriſto, tiara rhamnus eſt.
Transfixa fœdantur rubis
Aculeatis tempora,
Riui cruoris per caput
Et os ſerenum defluunt.
Da Chriſte membrum ſim tuæ
Semper uirens Eccleſiæ,
Et te ſequar per grandia
Læto gradu pericula.
Feram ſalutis caſſidem,
Conumq; fulgentis ſpei,

Beatus olim ut induar,
Tuæ corona gloriæ.

HYMNVS XI.

CHRISTVS TENENS *harundinem.*

Matt. XXVII. Dederunt harundinem in dexteram eius.

Pro defensione.

ILla illa torquens fulmina,
Et intonans cœlo manus,
Dans sceptra magnis regibus,
Gestat palustrem harundinem.
Rex Christus est, ut pernegent
Quotquot tyranni & præsules?
Sed nulla pompa, nulla uis
Sectatur illum splendida.
Hoc Christe regnum qui dolo
Auferre & armis cogitant,
Frenans graui calca pede,
Virgáq; cæde ferrea.
At uirga fortitudinis
Tuæ inter hostes floreat,
Vniq; credentem tibi
Dulci sub umbra me tegat.

HYMNVS XII.

CHRISTVS GENICVLA*tione irrisus.*

Matth. XXVII. Genu flexo ante eum, illudebant ei.

Pro

Pro constantia.

CVius prælato in nomine
Et cœlites & inferi,
Et terra quidquid continet,
Genu profundo sternitur:
Nunc à prophano milite
Vt uir prophanus temnitur,
Cohorsq; multa uellicans
Insultat impudentia.
Qui gestu, & ore, & carmine
Colendus es, da te colam,
Sublime nomen & tuum
Et gestu, & ore, & carmine.
Nec Christe præter te, genu
Flectam cuiquam, nec canam
Præter nomen tuum: mihi
Sis uox, honos, & barbitos.

HYMNVS XIII.

CHRISTVS ADORATIONE *subsannatus.*

Mar. xv. Summissis genibus adorabant illum.

Pro uero cultu.

MIles quod hic lusu & ioco
Intemperanter perpetrat?
Heu me, leues quot ómnibus
Locis agunt hypocritæ.

Te Christe clamant, milleq;
Iacent ad aras cernui:
Hostes tui sed nominis,
Puraeq; sunt Ecclesiae.
Hoc absit à me, & à domo
Mea precor, ne te meum,
Passum meis pro noxijs,
Fictis adorem cultibus.
In ueritate & spiritu
Litem sacrato nomini
Preces, & oris offeram
Grataeq; mentis hostias.

HYMNVS XIIII.

CHRISTVS PER LVDIBRIVM rex salutatus.

Mat. XXVII. Illudebant ei dicentes, Aue rex Iudæorum.

Pro cognitione Dei.

CAptum, ligatum, proditum
Quis esse gentis Abrahae
Regem, Deiq; filium,
Hunc sempiternum crederet?
Ridet, salutat, percutit
Pium, uerecundum, probum
Miles: nec ullum iniuriae
Omittit audacis genus.
O Christe nuta torpidi
Durum stuporem pectoris,

Natum

Natum Dei, & regem meum
Tua inuocem te gratia.
Nec illa turpis spretaq;
Imago territum auocet,
Quò prædicem minus tuæ
Potentiæ efficaciam.

HYMNVS XV.

CHRISTVS IN CHLAMYDE *ostensus populo cruentatus.*

Ioan. XIX. Exiuit Iesus foras, gestans coronam spineam, & uestem purpuream: & dicit Pilatus, Ecce homo.

Pro uera meditatione.

QVis iste tam reus? dedit
Quis tanta totq; uulnera?
Eheu miser, non audeo
Vultum pudendum tollere.
Testatur intus mens rea,
Et conscientiæ tremor,
Me uulnerasse propria
Meum Redemptorem manu.
O parce Christe, nec scelus
Prauum fatentem respue:
Inhæreat semper meo
Vox illa scripta pectori:
Homo ecce, cui nullus decor
Frontis, nec oris dignitas,
Ne spes salutis concidat,
Mœsto tibi producitur.

HYMNVS XVI.

CHRISTVS NVDATVS.

Mar. xv. Exuerunt eum purpura, induerunt́q; uestimentis propriis.

Pro indumento gratiæ.

QVi ueſtit agris gramina,
Pingitq́; nidis alites:
Nudatus aſtat, militi
Factus rapina barbaro.
Poſt ueſtis & non unius
Libidinoſam copiam,
Textum puellæ redditur
Parentis inconſutile.
Nudusq́; egensq́; Chriſte ſum
Per me bonorum: cumq́; me
Primi parentes inſuper
Nudum reliquerint tibi,
Tu ſpiritu tuo indue,
Agniq́; ueſti tegmine:
Non arboris ficulneæ
Ramus nocentem texerit.

IESV Chriſti cruci affixi exagitationes.

CHRISTVS IN MONTE CALUariæ ab omnibus omnium ordinum hominibus contemptus.

A SVM-

I.

A SVMMA DIGNI-tate præditis.

HYMNVS XVII.

CHRISTVS EXAGITATVS A principibus sacerdotum.

Lucæ XXIII. Deridebant eum principes, dicentes: Alios seruauit, seruet semetipsum, si hic est ille Christus, ille Dei electus.

Pro noticia Christi.

AMens fatetur pontifex,
Seruasse Christum plurimos:
Sed traditum genti suæ
Messiam ipsum, reprobat.
Quid ergo tot miracula
Num uana censes inuide?
Nemo euocauit quàm Deus
Resuscitatum Lazarum.
Dilecte patris maxime,
Electe gentis perditæ,
Te nemo scit, quem non sacer
Ducit docetq; Spiritus.
Tu solus illa uictima,
Mactata primo à seculo,
O Christe, sis mihi uia,
Et lumen, & scientia.

HY-

HYMNVS XVIII.

CHRISTVS EXAGITATVS A *Scribis seu doctoribus.*

Mar. xv. Illudentes ei scribæ, dicebant: Seruauit alios, semetipsum non potest. Si ille rex Israel, descendat modò de cruce, ut uideamus & credamus ei.

Pro incremento fidei.

PLebem doces, ipse insanus
Propheticorum dogmatum:
Antiqua nam Christum omnia
Vatum sonant oracula.
Videre, non est credere:
Nec quod tenes, speras adhuc.
Qui uênit è cœlo, à cruce
Non impotens descendere est.
Non est opus carnis, fides:
Subiecta nec spes sensui est.
Fidemq; spemq; uiuidam
Tu Christe ale, & corrobora.
Verbi tui fundamine,
Rerumq; certitudine,
Constans fides, inuicta spes
Nitatur omni tempore.

HYMNVS XIX.

CHRISTVS EXAGITATVS A *senioribus, seu magistratu.*

Mat.

Mat. XXVII. Principes ſacerdotum illudentes cum ſcribis & ſenioribus, dicebant: Confidit in Deo: liberet nunc, ſi uult, eum: dixit enim, Filius Dei ſum.

Pro adoptione.

IN contumeliam Dei
Incautus erumpit ſenex,
Chriſtoq; amarius obiecit
Plenam in Patrem fiduciam.
Patre à malo raro boni
Proſeminantur liberi
Qualis ſacerdos, ſcribaq;,
Sic multitudo eſt reliqua.
Qui nos adoptaſti Deus
In filios, per Filium,
In me paterna ſis precor
Dilectione perpetim.
Nec ceſſet unquam debita
In te uiciſſim charitas.
Qui fidit in te, numine
Præſente liberabitur.

II.

A PROMISCVA PLEBE & multitudine uniuerſa.

HYMNVS XX.

CHRISTVS EXAGITATVS à prætereuntibus.

Mat.

Mar. xv. Prætereuntes conuiciabantur ei, mouentes q; capita sua dicebant: Vah, tu ille qui demoliris templum, & rursus in triduo extruis? Serua temetipsum: si Dei filius es, descende de cruce.

Pro tolerantia.

Quassat caput plebs futilis,
Blasphemijsq; perstrepit,
Deiq; sancto filio
Fœda imputat mendacia.
Heu me, quot in caput tuum
Pœnas Ebræe congeris,
In te lues & in tuis
Quas clade tetra liberis.
Afflictus in te conspicer,
Vexatus à te pendeam,
O Christe, nec frangat meam
Vlla æquitatem diritas.
Cùm nulla consolatio.
Aut spes relicto ostenditur,
Te spem meam, & solatium,
Victoriamq; concinam.

HYMNVS XXI.

CHRISTVS EXAGITATUS à spectatoribus.

Matth. xxvii. Quidam illic astantium dicebant: Ecce Eliam uocat iste: sine uideamus, an ueniat Elias liberatum eum.

Pro

Pro auxilio.

Sol occulit clarum iubar,
Tellus tremore inhorruit:
Christus dolore, tristibus
Clamat patri suspirijs.
Portenta ridet cæca plebs,
Sanniq; questus excipit,
Dictisq; pectus anxij
Dilancinat mordacibus.
Pati est acerbum, uulnus est
Rideri & angi maximum,
Da Christe inexpugnabile
Robur molestæ uincere.
Immittitur cum uulneri
Vnguis, dolorem mitigat:
Cum pondus oppresso additur,
Bonus laborem subleua.

HYMNVS XXII.

CHRISTVS EXAGITATVS à militibus.

Lucæ XXIII. Illudebant ei & milites, dicentes: Si tu rex es ille Iudæorum, serua teipsum.

Pro conuersione.

Grassatur ante uerbere,
Nunc impetit conuicio,
Miles sibi ignotum, & suum
Iamiam futurum principem.

Rex uerus ille, nec modò
Gentis suæ, sed omnium
Qui militabunt arduis
Toto orbe sub stipendijs.
O Christe, membris qui tuis
Stulto graues sunt impetu,
Et inscientes in sacram
Proteruiunt Ecclesiam:
Sancti sequaces flaminis
Ad uerum ouile congrega,
Psitta & tuum fidelibus
Bibant auentes auribus.

HYMNVS XXIII.

CHRISTVS EXAGITATVS à lictore.

Mat. XXVII. Vnus ex iis accurrens, cùm acceptâ spongiam implesset aceto, imposuit harundini, & porrigebat ei ut biberet.

Pro leuamine.

CEnturionis dum cohors
Astat cruci, lictor ruit,
Præbens aceto turgidam
Siticuloso spongiam.
Hoc restat unum scilicet,
Amara Christo potio
Vt porrigatur, omnibus
Exhausto & ægro uiribus.

Si quod

Si quod malum mihi imminet,
Angustiæq; deprimunt,
Perfunde tristem nectare
Vitæ, & salutis balsamo.
Hoc nectar est, hoc balsamum,
Aufert quod horrorem necis:
Quòd iam pater clemens Deus
Morte est sequestra filij.

HYMNVS XXIIII.

CHRISTVS EXAGITATVS à latrone.

Lucæ XXIII. Vnus è maleficis qui erant suspensi, conuicia ei faciebat, dicens: Si tu es Christus ille, temetipsum & nos serua.

Pro felici exitu.

Hircus nouellas gemmulas
Vt uite rodit: sic latro
Dentis cicatricem imprimit,
Linguaq; bellum conciet.
Christi heu miser potentiam
Fractamq; inermemq; æstimat,
A quo audit insuetus suum
Statim beari complicem.
Quando imminet nouissimus
Aeui ruentis terminus,
Succincta mens tranquillaq;
Verbo quiescat in Dei.

Sum lotus undis, sum sacro
Pastus cruore & corpore:
In hac fide ponam meum
Christi fauore spiritum.

IESV CHRISTI EXAGI-tati uulnera.

HYMNVS XXV.

TERGVM CHRISTI loris cæsum.

Ioan. XIX. Prehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.

TErgum innocentis effera
Christi fatigatur manu,
Impressa dissultant cuti
Vlmus, flagella, loraq;.
Quæ uirgeo mundo obruit
Rerum creatorem omnium,
Cur non stupore militis
Est arefacta dextera?
Hæc terga scinduntur meis
Tanto impetu pro noxijs:
Mihi quies ut sit, tibi
Non Christe respiratio est.
Me perditum, qui gratijs
Sum concinendis segnior:
Tu me moue, tu me excita
Viui uigoris flamine.
Cùm uersor atrati in modum

Recur-

Accuruus, æger, turbinis,
Vireſcat imbellis mea,
Virtus tuo de uulnere.

HYMNVS XXVI.

CAPVT CHRISTI SPInis coronatum.

Mar. xv. Imponunt ei plexam coronam ſpineam.

CAput ſacratum Eccleſiæ
Traiectum acutis ſentibus
Horret, coronam nexili
Quod geſtat hamatam rubo.
Quo frons coruſca, quo die
Sereniora tempora?
Quo mâla ceſſit, oraq;
Candore cœli lactea?
Splendoris humani nihil
Heu noſco in iſtis uultibus:
Rubra unde dimanant, breuis
Torrentis inſtar, flumina.
O Chriſte, qui non durus es
Prece inuocari ſedula,
Non obſeratis ſupplices
Admitte uoces auribus:
Pro qua cruentaris, ſacræ
Caput manens Eccleſiæ:
Auerte quæ templis mala
Momenta, patriæ mala.

HYMNVS XXVII.

CORPVS CHRISTI VESTE detracta, renouatisq; uulnerum cruciatibus afflictum.

Matth. XXVI. Exuerunt eum chlamyde, & induerunt uestimentis propriis.

Corpus dolore uulnerum
Tabens, solutum, flaccidum,
Detracto amictu, spumeum
Vndat cruoris gurgitem.
Hæc massa carnis terrea
Corpusq; damnatum necis,
Mundanda, seruanda unius
Christi fuêre sanguine.
Ponit peregrinam, suam
Vestem resumit: scilicet
Mortale ponens, denuò
Virtute surget propria.
O Christe sananti tibi
Morbum omnem, & ægrimoniam,
Credam usq; & usq;, nec sequar
Curas caducas lubricus.
Te munerer casta prece,
Te laude digna prosequar:
Tibi ore, plectro, tibia
Carmen sonorum diuidam.

HYMNVS XXVIII.

MANVS AC PEDES CHRISTI clauis ferreis traiecti.

Psal.

Psal. XXII. Perfoderunt manus meas, & pedes meos.

MAnus pedesq; transeunt
Clavi (nefandum) ferrei:
Manus gubernantes polum,
Plantas prementes æthera.
Nec impij nunc sævius
In membra bacchantur Dei,
Quæ flamma, & unda, & ensibus
Centumq; pœnis hauriunt.
Tu Christe solus conscius
Illis, malorum immunibus,
Quot quæve cultores, tui
Ferant fideles nominis.
Depræliare pro pijs
Membris, in hostes turbinem
Iraq; uerte: tum sacro
Ne paupera me Spiritu.
Patrare ueloces malum
Meæ manus, mei pedes:
Via his, & illis ansa sis,
Errore ne te deserant.

HYMNVS XXIX.

LATVS CHRISTI HASTA transfixum.

Ioan. XIX. Militum unus latus eius lancea fixit, & effluxit inde sanguis & aqua.

LAtus penetrat ſtridula
Intaminatum fraxinus,
Foditq; mucro hiantia
Chriſti mei præcordia.
Riuus cruoris atq; aquæ
Erumpit inde limpidus:
Cruor pians mundi nefas,
Et unda purgans crimina.
Manu notatum me Deus
Nouit Pater: fixum intimo
Fert corde Chriſtus: Spiritus
Sanctus iuuat ſuſpiriis.
Tali fide elatum, & tuis
Inambulantem ſemitis
Heroa, tandem præmijs
Clarabis immortalibus.
Sim talis heros, ut dies
Quandò illa magna luxerit,
Tecum emicem ad cœleſtia
O Chriſte uitæ gaudia.

AMEN.

GEOR-

GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS, IOANNI *Giganti Eccleſ. Freiſtadianæ præſidi S. D.*

VOlui affari te, Iohannes Giga, in horum librorum principio, propter eam, qua fuimus coniuncti, neceſsitudinem: cuius ſuauitas apud me ſemper eſt recens, cuiusq; recordatio ſæpe cũ iucunditate me reficit. alia enim nunc tempora ſunt, alij mores, alij (pœnè dixerim) homines: nec libertas antiqua tuta, nec locum candor ingenuus ueterem habet, nec ſtudia noſtra eo in precio ſunt, quo fuerunt. Cauſas eius mutationis nec facile eſt cogitare, nec gratum meminiſſe, nec hoc loco neceſſarium repetere: artium uerò neglectio, earum præſertim, quas nos colimus, humaniorum, partim in iſs eſt qui eas cum leuitate exercent: partim etiam, qui ſuum illis patrocinium detrahunt, in copioſis hominibus. Iliadem ſcribat oportet, qui diuitum uelit uti gratia aut fortunis. itaq; ſatius eſt alere amicorum beneuolentiam, & amoris uetuſtate frui, quàm honeſto titulo alijs relinquere gloriam, ſibi labore magno comparare egeſtatem. Quid Theodorus Gaza à Nicolao pontifice retulerit gratiæ, quid à Gneſnenſe præſide Eraſmus, ij

commemorant, qui nouerunt. Quod autem ab illis ſplendidis hominibus, qui in bonis pietati & artibus donatis, lautè uiuunt, & cum pompa ſuperbiunt, meritò expectatur; id ne requiritur quidē ab amico. Accipe igitur noſtræ obſeruantię erga te monumētū, Hymnos hos Eccleſiaſticos, quorū aliquos prima mea adoleſcentia ſcribere cœpi, cùm ante annos triginta apud uiros illos induſtrios, tibiq; non ignotos, Valentinū Herteliū, & Iohannē Riuiū literas in patria & Fribergi pueros docerē. neſcio enim quomodo hoc doctrinæ & numerorū genus, me cæperit à pueris, quo adhuc delector, propter carminis ſonum & celeritatē, uerbis rotundis & quaſi tornatis, complectētis multa: ad quod etiam me impulerunt amici, ut in argumentis ſacris id exercerē. Ex illa officina ſunt, libri quos præmiſi, & qui nunc ad te mittūtur. Poſtea nouos addiderunt ſtimulos uiri ingenioſi, & clari aliquot Muſici, qui ſuorum uarietate cantuum noſtra fecerunt modulatiora, Martinus Agricola, Iohannes Vualtherus, Antonius Scādellius, Matthęus Maiſtre, Iohannes Reuſchius, Vuolfgangus Figulus, Valentinus Rabus, Iohannes Keizenhouius. Vnde plures huius generis libri ſunt, ut uidebis, conſecuti.

Hoc ſtudium, ſi boni laudabunt, gaudebo: ſin improbabunt inuidi, mea me conſolabor conſcientia, & eius in cuius hæc ſunt ſcripta

lau-

laudem, fauore atq; bonitate. Destinaueram huius libri dedicationem Andreæ Ernesto, Eccl. Quedilnburgiæ in Hercinijs antistiti, uiro grauissimo, & Andreæ fratris mei socero: quem cùm anno superiore repentina pestilentiæ lues è reb. humanis eripuisset: te ex Northusa, urbe uicina natum, amicũ ueterem, alloqui placuit. Quod factũ meũ, pro tua consuetudine in partem optimam accipies. Vale. E Ludo illustri, Misenæ Hermundurorum,

M. D. LXVI.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS,

de usitatis Ecclesiæ *diebus festis,*

HYMNORVM Liber IIII.

CHRISTI HVMANITAS *nunciata.*

VIII. Calend. Aprilis.

HYMNVS I.

QVod Isaias dixerat,
Intacta uirgo concipit,
Vt semen illud, conterens
Caput draconis, prodeat.

Lætum salutis Angelus
Perfert adeptæ nuncium:
Promissa spes, Emanuel

Nasce-

Nascetur orbi: psallite.
Hic magnus est, & filius
Altissimi uocabitur:
Patrisq; regnum, termino
Carens in æuum, proferet.
Hoc Christe regnum plurimo
Quod astruisti uulnere,
Ne dissipari hoc ultimo,
Sinas ab hoste, tempore.
Vt tu colaris cum tuo
Patre, atq; sancto Spiritu:
Cui cultus, & laus omnibus
Debetur uni seculis.

CHRISTI NATALIS.

VIII. Calend. Ian.

HYMNVS II.

RErum creator omnium,
Sumit cadaeum exordium:
En uirgo partus edidit,
Et factus est homo Deus.
Salue puer, fili Dei,
Puræq; nate uirginis,
Desiderate patribus,
Desiderate gentibus.
Quæ per Prophetas est Deus
Olim locutus, proprij
Diuinitatis abditæ
Nunc pandet ore Filij.
Huic ergo grates supplici
Reddamus ore & pectore,

Cunctiq;

Cunisq; paruis dulcia
Figamus omnes oscula.
Adest benignus omnibus
In se pie credentibus:
Nos diligit, non horruit
Qui carnis imbecillia.
Cum Patre, cumq; Spiritu
Sancto, cui sit gloria.
Dies recurrat tempore
Hæc fausta semper annuo.

CHRISTI CIRCVMCISIO.
Calend. Ianuarij.

HYMNVS III.

CVltro secanda saxeo
Tenella Christus membra dat:
Non uênit, ut tollat sui
Legem Parentis Filius.
Obædiendo uincula
Tu legis unus mitigas:
Datoq; monstras nomine
Tuæ fauorem grâtiæ.
Hoc nomen est potentiæ,
Nouæq; signum gloriæ,
Et per quod unum cœlitus
Datur salus mortalibus.
Tu Christe non effabilis
Imago cœlestis Patris,
Da nil colatur, quàm tuum
Nomen perennis seculo.

CHRI-

CHRISTI APPARITIO in gentibus.

VIII. Idus Ianuar.

HYMNVS IIII.

REdemptor & Rex omnium
Natus quòd es mortalium,
Id Bethleitis Angelus,
Sidus Sabæis nunciat.
Gentes triumphantes nouo
Nunc ambulabunt lumine,
Regesq; gaudebunt tua
Natiuitatis gloriâ.
Externa lingua te canet
Lætis sonora plausibus:
Nam stella Iacobi domo,
Fulgens per orbem, prodijt.
Aurum nitebit in tuis,
Et thus olebit cunulis,
Myrrhæ colêris munere
A Gange & Indo flumine.
Da fida nobis pectora
Laudis tuæ in præconia:
Sis Christe nostræ dux uiæ,
Mentisq; rector lubricæ.
Stellam sequentes ut tua
Quæramus incunabula,
Et te, Patremq; cum sacro
Dignè colamus Spiritu.

CHRISTI OBLATIO in templo.

IIII. No-

IIII. Nonas Febr.

HYMNVS V.

CHristus parenti sistitur,
Iussa offeruntur munera:
Fundit cruorem turturum,
Maior futurus hostia.
Qui lege non fuit, nocens
Legis minister redditur,
Vt nostra tolleret, Dei
Damnata lege, crimina.
Erumpit hymnum Simeon,
Adesse lumen gentibus,
Et Israëlis gloriam
Suis teneri amplexibus.
Hoc lumen, hæc & gloria
Nostro refulget tempore,
Quæ Christe conserua tuis
Nulli mouenda Ecclesijs.
Vt cùm supremus uenerit
Vitæ peractæ terminus,
In pace deponamus hæc
Obdormiendo corpora.
Quæ tu coruſco uestiens
Resuscitabis lumine,
Vt ipsa te laudent, sacro
Cum Patre, cumq; Spiritu.

CHRISTI BAPTISMVS.

VIII. Idus Ianuar.

HYMNVS VI.

Iordanis

IOrdanis unda nobili
Dei lauatur filius:
Pacem, ſalutem, gaudium,
Vitam ferens mortalibus.
Vox ecce Patris inſonat,
Chriſtusq; præſens tingitur,
Sacerq;, ſupra imagine
Aſtat columbæ, Spiritus.
Aeterna & alma Trinitas,
Noſtros reatus elue,
In cuius ipſi nomine
Vnda ſalubri tingimur.
Arce furorem dæmonis
Signo recentis fœderis:
Semel receptos in tuam
Fidem, tuere perpetim.

CHRISTI TRANSFIGVRATIO.

III. Idus Martii.

HYMNVS VII.

INaſtra Thabor herbidum
Quà tollit altus uerticem,
Chriſtus miniſtris patria
Dat ſe uidendum gloria.
Vultus uelut ſol ſplenduit,
Et ueſtis ut nix canduit:
Cum Moſe, Elia conferens
Verba efferenda nemini.

E nube proclamat Pater:
Audite Christum filium.
Apostolorum turbida
Dicto pauescunt pectora.
Moses abit, Christus manet, "
Lex pulsa, restat gratia: "
Christum per unicum pol
Aperta rursus ianua.
Da nostra quæso corpora,
Nouo decore lucida,
Vinclo soluta carneo
Agant pio in consortio.
Vt intuendo te, tuo
Cum Patre, cum Flatu sacro,
Noscamus atris abdita
Iam sensibus mysteria.

CHRISTI REGIVS IN urbem ingressus.

XIII. Cal. April.

HYMNVS VIII.

REx, Israel, tuus tibi,
Mansuetus & uolens adest:
Plausus manu, cantus tuba,
Et ore laudes persona.
Non sæuus armato grege,
Cohortibusue barbaris:
Tergo sed insidens, uenit
Inops, aselli pauperis.
Nec fert caduca gaudia,

Vitæ ſed æternæ bona:
Néue horreas mitiſſimum,
Adeſt egenus, Principem.
Sternamus huic uelamina,
Ramos ſecemus arborum:
Promamus hymnum gloriæ,
Pulcherrimo in certamine.
Pauper ſuperbum ſubiugat,
Clemens atrocem dæmonem:
Rex iuſtus, & ſeruans ſuos,
Trophæa pacis erigit.
Regnum à Parente traditum,
Verbo manuq; uindicat:
Contemnitur potentibus,
Sed regnat in templo Deus.
Oſchana lætum Dauidis
Canamus almo filio,
Cuius per omne ſeculum
Regnum beatum floreat.

CHRISTI PASSIO & mors.

VIII. Calend. Aprilis.

HYMNVS IX.

QVi ſolis excellit iubar,
Et aſtra pulchritudine:
Deformis, horridus, lacer,
Pendet necatus in cruce.
Qui dat creatis ſpiritum,
Vitamq; donat mortuis,

Extinc

Extendit in ligno manus,
Inter latrones mortuus.
Nostro ille læsus scilicet,
Et uulneratus uulnere:
Peccata quæ non fecerat,
Seruaret ut nos, pertulit.
Agnus lcuatur stipite,
Pro noxijs innoxius:
Hæc sola grata pro reis
Deo parenti uictima.
O Christe noster, in crucis
Oblatus ara, Pontifex:
Qui morte mortem permeans
Mortis tyrannum destruis.
Ad te perennis currimus
Thronum paratum gratiæ,
Patrata nobis crimina
Obliuione contere.
Per te queamus uincere
Hostem salutis dæmonem,
Et omne carnis lubricum,
Ac triste mundi gaudium.
Votis gementum porrige,
Distenta ligno brachia,
Preces & ad nostras caput
Tabo reclina liuidum.
Tu uita, consolatio,
Robur, salus, redemptio,
Tibi, & Parenti, & Flamini
Sacro, canatur gloria.

CHRISTI IN VITAM REDITUS.

VI. Calend. April.

HYMNUS X.

VOx Angelorum nuncia
Immensa perfert gaudia,
Peccata propter, mortuum
Christum, Deo iam uiuere.
Euasit Heros, saxeo
Mosi, nihil uis profuit:
Claustrum sepulchri peruium,
Furor repressus Tartari.
En uita, libertas, salus,
Victore Christo contigit:
Grates cui sint debitæ
Pro tam benigno munere.
Tu Christe pastor optime,
Agnos relictos congrega:
Duc ad superna gaudia,
Greges redemptos sanguine.
Vt suscitatis à nece
Promissa dentur præmia,
Ornabis in pijs tua
Cùm glorioſa munera:
Deo Patri cum Filio,
Cum Spiritu sanctissimo,
Canatur ut per secula
Triumphus & uictoria.

CHRI-

CHRISTI AD COElos aſcenſus.

IIII. Non. Maii.

HYMNVS XI.

DEmiſſus aſtris in ſinum
Chriſtus, parentis uirginis,
In alta tendit, ad Deum
Noſtrum Patrem, Patrem ſuum.
Secumq; captiuans trahit
Captiuitatem: dexteræ
Nunc iunctus æterni Patris
Dator bonorum eſt omnium.
Homo & Deus connectitur
Hic fœdere inſolubili:
Homo & Deus pro crimine
Hic deprecatur omnium.
Ad hunc eamus libere,
Spe non labante, nec fide:
Humana quem texit caro,
Eſt proximus Deus Deo.
Supra leuatus Angelos,
Cœlorum & altitudinem:
Probatus & per omnia,
Doleret ut noſtram uicem.
Rex noſter atq; Pontifex,
O Chriſte uotis annue,
Cauſſam tuendam Eccleſiæ
Auctoritate ſuſcipe:

Noscamus ut Patrem Deum,
Et te patronum Filium
Vere inuocemus, & ducem
Sanctum sequamur Spiritum.

CHRISTI IVDICIS aduentus.

XIII. Cal. Decemb.

HYMNVS XII.

PAter benignus omnium
Te Christe diligentium,
Iudex seuerus omnium
Te Christe non timentium:
Da sic agamus lubricæ
Incerta uitæ tempora,
Vt prædicemus te Patrem,
Non sentiamus iudicem.
Tu nos clientes asseres,
E fauce Tartari rapes,
Quando malos urentibus
Adiudicabis ignibus.
Illa illa nostris auribus
Mellita uox ut personet:
Sancti uenite, gaudia
Regni tenete patrij.
Vt cum pijs te cœtibus,
Patrem, sacrumq; Spiritum
Læti uidentes, inclyto
Hymnos canamus nomini.

DEO

DEO SPIRITVI SANCTO, die Pentecostes.

Idibus Maii.

HYMNVS XIII.

BEate Patris Spiritus,
De luce lux altißima,
Pijs rogamus ignibus
Incende noſtra pectora.
Errore lapſos corrige
Ac inſcientes inſtrue:
Te non docente, plena ſunt
Denſis tenebris omnia.
Da nos amemus intimis
Vt inuicem præcordijs:
Sancto quod à te diſſidet
Coniunge nexus uinculo.
Periclitantibus ſacro
Adſis patronus numine,
Nec non propinques aſpera
Solator in certamine.
Auge fidem, cœleſtia
Infunde largus munera:
Immitte fortes gloriam
Tuam fateri ſpiritus.
Attolle noſtra lumina
Cœli uidere præmia,
Non torpeat terreſtribus
Mens implicata ſordibus.
Legens tibi credentium

Sedem perennem pectorum,
Tuere dona, quæ tuæ
Inseruiunt Ecclesiæ.
Deus precum, preces pias
Esse efficaces perfice:
Cum Patre te, cum Filio
Omni canamus seculo.

SANCTISS. TRInitati.

XI. Calend. Iunii.

HYMNVS XIIII.

QVi nos creas Pater Deus,
Qui liberas nos Filius,
Qui gratia nos efficis
Sanctos benigne Spiritus:
Te nostra uox, te conciti
Collaudat ardor pectoris:
Preces reconde mitibus
Cordisq; & oris auribus.
Pater Creator nominis
Extolle gloriam tui:
Curamq; nostri, tempore
Nullo remotus, abijce.
Fili Redemptor, da tuam
Vbiq; cantari crucem:
Nec inter hostes improbos
Relinque nos, ut orphanos.
Flatus Sacrator, omnium
Fuga tenebras pectorum:

Da post peractæ tempora
Vitæ, superna gaudia:
Vt carne, mundo, satana,
Victis, superbis hostibus,
Laudemus in cœli thronis
Te, cum beatis angelis.

DE ANGELIS CASTIS.

III. Calen. Octob.

HYMNVS XV.

RErum parenti gratias
Digne canamus omnium,
Quòd Angelorum condidit
Virtute uerbi spiritus.
Qui laudibus Deum suis,
Cunctis honorant seculis:
Qui iussa mandantis statim
Toto faceſſunt impetu.
Per quos tuetur ac regit
Deus uias mortalium,
Et sæpe mirandis suam
Seruat modis Eccleſiam.
Arcet malignos, Angelis
Tuentibus nos, dæmones:
Néue opprimamur flammea
Circumtegit custodia.
His sæuientes uiribus
Paſſim tyrannos obruit,
Auertit & pericula
Vitæ fugacis plurima.

Puer, senex, uir, fœmina,
Deum canentes tollite:
Cuius uerendos excubant
Vestri ante uultus Angeli.

DE OCCISIS INFANtibus.

HYMNVS XVI.

O Flosculi uos Martyrum,
Christi tenellæ uictimæ,
Quas in recentis limine
Vitæ, ira uisq; sustulit.
Lacte & cruore mœnia
Fluxêre Bethlæ: quæritur
Dum Christus ad necem, pia
Matrum necantur uiscera.
Propheta uidit, matribus
Blanda & locutus tristibus:
Absiste flere, non tuo
Merces labori inanis est.
Absens nec ipse infantibus
Christus fuit: quamuis solo,
Herodis enses exiens,
Exul Pharonis uiueret.
Ille intuetur omnia,
Sentit suorum uulnera,
Extare regni qui noui
Tam mira uult exordia.
Infantuli uiuunt Deo,
Christo triumphant, luceq;

Splen-

Splendent amicti candida
Cœli canentes principi.

DE IOHANNE BAPTISTA.

VIII. Calend. Iulii.

HYMNVS XVII.

A B angelo prædicitur
Christi Iohannes angelus:
Sacro repletus numine
Clausus parentis uiscere.
Qui præco pœnitentiæ
Cum publicanis milites
Docet, salacemq; asperis
Carpit tyrannum uocibus.
Nolite peccare amplius,
Deum incitare parcite:
Flore arbor & fructu carens
Cum stirpe dissipabitur.
Adeste, hic agnus est Dei
Peccata tollens omnia:
Christo salutis unicam
Pater dedit potentiam.
Hæc ille in aula, in oppidis,
Vastaq; eremo concinens,
Nec carcere aut minis graui
Ab instituto flectitur.
Saltat thyas, furens mero
Rex approbat Sicinnida,
Daturq; saltatriculæ,
Caput prophetæ, præmium.

Non

Non fugit auras in leues
Herois alti ſpiritus:
Exceptus excelſiſſimi
Vir immerens ſinu eſt Dei.
Odiſſe da nos intimo
Omnem impium de pectore,
Immobilemq; in arduis
Præbe malis conſtantiam.

DE STEPHANO PROtomartyre.

VII. Calend. Ianuar.

HYMNVS XVIII.

TE protomartyr inclite
Tollit ſacris Eccleſia,
Et fortitudinem ac fidem
Iuſtis honorat laudibus.
Tu, ſicut Angelus Dei,
Vultu decorus ſplendido,
In concione, Chriſtidos
Fidem tueri iuſſus es.
Verumq; Meßiam tuæ
Veniſſe genti prædicans,
Cæcos apellas arguis
Ingratitudinis reos.
Non te minæ furentium,
Non lingua mendax teſtium,
Non pœna mortis, aut metus
Negare Chriſtum compulit.
Quare datum fuit tibi
Cœlos apertos cernere,

Periq;

Pariq; Christum gloria
Stantem à Parentis dextera.
Dei fatendo Filium
Pari ut fruamur lumine,
Cum Spiritus sancti, Patris,
Natiq; faxit gratia.

DE PAVLO CONVERSO.

VIII. Calend. Febru.

HYMNVS XIX.

PAuli diem, Pauli fidem
Grato colamus pectore:
Ex hoste, Christi factus est
Amicus, & uas gratiæ.
Ferus Damascon aduolat,
Christum fatentes ut liget:
Res mira, sanctus fit Dei,
Sanctos minatus perdere.
Lux clara, ritu fulguris
Sternit superbum: sed Dei
Vocem audienti parcitur,
Vetusq; culpa ignoscitur.
Quem persecutus antea
Plagis, minis & carcere:
Hunc nouit, & palàm docet
Oratione & literis.
Nec plura quisquam pro Dei
Tormenta passus gloria:
Nec nomen ullum notius
Cunctis per orbem gentibus.

O Chris-

O Christe, nunc hostes quoq;
Lucem tuos fac cernere:
Vt sancta quæ tu diligis,
Ament & ipsi nomina.
Nemo tuis unquam audeat
Pugnare iussis pertinax:
Tibi uocanti cœlitùs
Hostes, amici pareant.

DE PECCATRICE RECEPTA.

XI. Calend. Aug.

HYMNVS XX.

MVndi secuta lubrica,
Blandæq; carnis noxia,
Dolore suspirans, DEI
Supplex adorat filium.
Non ausa uultum tollere,
Humi recumbit cernua:
Pedes rigauit fletibus,
Tersitq; muta crinibus.
Cor clamat intus ad Deum,
Fidesq; pulsat intimum:
,, Non abijcit suspiria
,, Deus piè gementium.
Quæ plurimam in IESV DEO
Confisa spem locauerat,
In iusta iustum deprecans
Fit iusta, crimen tollitur.
Te Christe nostra uox rogat,
Remitte quod peccauimus:

Seruare

Seruare nos, non perdere,
Tuo à parente missus es.

DE LATRONE ASSVMPTO.

VIII. Calend. April.

HYMNVS XXI.

VIta malus, factis ferus
Latro, gabalo figitur,
Reus Deo, mundo reus,
Anhelat ad Christum fide.
Vt una gutta sanguinis
Corpus respersit luuidum:
Statim reuixit, tabida
Vt rore uiuit plantula.
Tu Christe, clamat, innocens
Mihi nocenti subueni,
Mei memento cùm tuæ
Aulam subis potentiæ.
Christus gementi blandus est,
Et supplicanti præuius:
Spera, inquit: hoc mecum die
Vises beatos hortulos.
O Christe nemo de tua
Desperet unquam gratia:
Quamuis prematur omnium
Erroribus mortalium.

DE PETRO APOSTOLO recepto.

VI. Calend. April.

HYMNVS XXII.

PEtrum canamus, inclitum
Fide uirum: qui Christe te
Præ cæteris Apostolis
Dei fatetur filium:
Mox stertit in periculo
Somno solutus, & suo
Vincto magistro, garrulæ
Terretur ore uernulæ.
Oblitus eius luminis,
Cum fratribus quod uiderat,
Cum Christus ostendit suæ
Solem perennem gloriæ.
Heu peierauit, uiribus
Suis relictus: & suum
Nouisse se, uidisse se
Miser negauit principem.
Hunc proditorem nominis
Tui, benigno spiritu
Seruas: & eripis truci
Cribrantis ore dæmonis.
O Christe, nullum perdere
Qui uis, perire nec sinis,
Hostiq; Petro nuncias
A' mortuis te uiuere.
Qua uoce lætus ad tuæ
Currit fauorem gratiæ,
Facto suo nos edocens,
Te Christe nullum spernere.

O per tuum nos sanguinem,
Per illa mille vulnera
Precor iuua: nam perditos
Iuuare, Christo gloria.

DE THOMA APOSTOLO OBIVRGATO.

Pridie Non. April.

HYMNVS XXIII.

QVi, Nolo, dicit, credere:
Idem, Perire, ait, nolo.
Quod accidisse haud infimo,
Res horrida est, Apostolo.
Hic sæpe IESV nomine
Morbos fugauit, dæmones
Iussit tacere, & astitit
Resuscitatis mortuis.
Nunc pertinax, mendaci
Christum, sodales, fœminas
Accusat: & uult tangere,
Quod iussus esset credere.
Hunc Christe fers, & hunc doces,
Verus ferum, mitis malum:
Hunc increpando illuminas,
Et instruendo retrahis.
Fuscatus umbris tartari,
Pulchra renidescit fide,
Dominum suum, Deum suum
Suspirat alto pectore,
Omnes sumus nox, cæcitas,

Mendacium, quanti sumus
Tu Christe sis flatu tuo
Lux, & dies, & ueritas.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS VARIIS TEMPORIBVS HYMnorum Liber V.

DEO PATRI OMnipotenti.

ACCEDO te parens Deus
Tuo uocatu, nil mei
Confisus actionibus,
Vllius dignus nomine
Stipatus accedo tamen
Nato hinc tuo, illinc Flamine:
Nati cruore recreor,
Fauore uiuo Flaminis:
Natus iubet, Flamen trahit;
Ille os Dei, hic uigor Patris:
Quorum una tecum semper est
Mens, & potestas, & decus.
Sequor iubentem, nec queo
Nutum trahentis linquere:
Natum patronum sustine,
Flatum aduocatum respice.
Ignosce prauo, suffice
Vires iacenti, perdito
Succurre, uinctum libera;
Pressum erige, indignum beа:

Chorus

Choros ut inter cœlites
Viuam, soluto corporis
Vinclo caduci, per tuum
Resuscitatus Filium.

DEO FILIO IESV CHRISTO redemptori.

ORare Christe me quoque
Mandas, uocare, & poscere
Aures patentes sunt DEI,
Fidenter inuocantibus.
Vides quibus periculis
Cœtus laboret ille, te
Qui confitetur, & tuo
Se iactitat de nomine.
Hunc Thraces annis plurimis
Vexant, nouis iam Sarmatæ
Læti premunt successibus,
Gens utraq; impia, horrida.
Hunc illa tetra bestia
Oenotris undique impetit,
Ad arma reges, efferum
Ad arma uulgus concitans.
Non sustinebis opprimi,
Diris ab his latronibus,
Dictum tuo de nomine
Gregem, redemptum sanguine.
Exurge Christe, & Angelis
Manda tuis, ut liberent
Mundi supremo tempore
Ad te gementem Ecclesiam.

Tum paruulum ad te me trahe,
Tuoq; firma Spiritu,
Vt ne tuo pro nomine
Vitam recusem ponere.

DEO SPIRITVI SANCTO paracleto.

O Viue Patris Spiritus, O
Christiq; testis inclite,
Cum Patre cum, Christo unica
Vis, altitudo, gloria.
Seruare quæ in uita iubes,
Nos imperitos edoce:
In morte scire quæ decet,
Obliuiosis suggere.
Ne ueritatis obstruat
Dæmon sophista lumini,
Neu te Deum, testem Dei,
Humana mens irrideat.
Sis robur in periculis,
Solamen in suspirijs,
Et aduocatus à mea
Nunquam recedas dextera.
Tum tempore hoc quos mobili
Hypocritarum subdola
Fraus pellicit, quos perditus
Furor tyrannorum premit:
Heroica illos indue
Vultu tuo constantia,
Contraq; mundi principem
Dona omnibus uictoriam.

DEO VNI TRINO QVE, PAtri, Filio, Spiritui sancto.

PAter creator maxime
Quos condidisti, ne sine
Perire: custodi malis
Sed supplices ab omnibus.
Fili redemptor optime,
Tuo lauas quos sanguine:
Iram coercens, improba
Mitis remitte crimina.
Sacrator alme Spiritus
Nos crudis qui cœlitus,
Post hæc caduca tempora
Ad regna duc cœlestia.

MATVTINO DIEI TEMpore.

LAudem canamus debitam
Nostro Patri, nostro Deo:
Qui prospera dedit suis
Frui quiete seruulis.
Qui somniorum noxia
Tulit procul ludibria:
Qui mille fraudes dæmonis
Sancto repressit Angelo.
Ne fallat hostis, subdolis
Nocere doctus artibus,
Tuere Christe, & in tuis
Fac ingredi uestigijs.
Ne cæca recta mens scopo

Aberret, & ne deuiet,
Emitte claram cœlitùs
Lucem tibi credentibus.
Vt si soluta corporis
Humana mens sit uinculis,
Apud Deum cœlestibus
Felix fruatur gaudijs.
Virtus, honos, & gloria
Cum Patre Christe sit tibi,
Et cum pio Spiramine,
In hoc & illo seculo.

HORIS MERIDIANIS.

QVi pro reis mortalibus
Pœnam subis innoxius,
Cœleste lumen mentibus
Infunde caligantibus.
Ignosce lapsis crimina,
Da recta prauis pectora:
Vt corrigentes impiam
Vitam, assequamur gratiam.
Auerte damna publica,
Et cuncta tolle tristia:
Meridiani comprime
Iram minacem dæmonis,
Vt hoste uicto peßimo,
Magnæ Deus uictoriæ
Tollatur auctor laudibus,
Sacris colatur canticis.
Ne si fugemur territi,

Immanis hostis opprimat,
Captosq; uinculis premat,
Iugoq; colla conterat.
Virtus, decus, potentia
Patri sit, atq; Filio,
Cum sacrosancto Flamine,
In sempiterna secula.

VESPERTINO DIEI tempore.

O Nate patris unice,
Te nos rogamus supplices,
Vt des quietem prosperam,
Leuesq; somnos irriges.
Dum uera lux, uerus dies,
Noctis fuga caligines,
Somnos graues & anxia
Depelle clemens somnia.
Ne cæca tendat retia,
Neu perdat incautos, uota,
Communis hostis omnium
Nomen Dei fatentium.
Biccis cruentus faucibus
Qui quærit, ut leo ferus,
Quem captet, umbris Tartari
De mergat & crudelibus.
Manu tua nos asserе,
Malisq; cunctis eripe:
Vt uera Christe gaudia
Sint in perenni patria.
Honor Patri cum Filio,

Sacro ſimul cum Spiritu,
Trinoq; & unico Deo
Dicatur omni ſeculo.

DE NATIVITATE CHRISTI.

Concio paſtorum.

QVæ cauſa veſtri gaudij,
Gregem miniſtri, dicite?
Regem ſoli, regem poli
Natum puella uidimus.
Hic paſtor ille mentium,
Hoc lumen illud gentium,
Quod g[illegible]ere cernere
Patres, prophetæ, principes
Fit angelorum uocibus
Notus Deus paſtoribus,
Cùm prima uidit lumina
Inter bouis præſepia.
Quàm tuta, quamq; pinguia
Greges habebant paſcua:
Hic prata, ualles, flumina,
Herbasq;, paſtor condidit.
Somnum licebit arboris
Quauis ſub umbra carpere:
Victrice frigidi caput
Serpentis elidet manu.
Ille ipſe fidam traditi
Gregis geret cuſtodiam,
Ducetq; limpidiſſimi
Oues ad undam fluminis.

Mona

Monstrabit & salubria
Virtute uerbi graminat
Ac pouet olim pro suis
Vitam innocens balantibus.
Fidam suorum uim canum
Immittet acres in lupos,
Vt natio quæuis Deum
Norit per orbis ambitum.
Offerte Nato debita
Preces fideles muneri:
Ei perennes cum pijs
Cantate laudes, Angelis.
Altißimo sit laus Deo,
Eiusq; sancto Filio,
Sit pax per orbem, mutua
Mentes regat concordia.
Dum nos per altum olentibus
Lectos ab hircis euehat,
Donans gregi cœlestia
Sperati ouilis gaudia.

CALENDIS IANVarij.

ISTius Christus pius auctor anni
Det nouam uitam, placidosq; mores,
Turpia in nobis ueteris restinguat
Crimina culpæ.
Ipse pollutæ maculas benignus
Diluat mentis, reseretq; uitæ
Hulcus antiquæ, tribuatq; mundi

Pectoris ignes.
Sic cum toto uenerem ur anno,
Cordibus puris, animisq; gratis:
Sic & æterno meritæ colamus
Laudis honore.
Ille successus tribuat beatos,
Adsit & nostris precibus, suaq;
Gratia cunctos facilis bonusq;
Dirigat actus.
Christe laus, uirtus tibi, dignitasq;
Cum tuo semper Genitore sancto,
Cumq; cœlesti Paracleto, ut omni
Personet æuo.

PRO CVSTODIA COETVS Scholastici, in publicis calamitatibus.

GRates agamus omnibus
Deo parenti seculis,
Qui liberauit tristibus
Suam malis Ecclesiam.
Qui dira belli uulnera,
Et sæua pestis funera,
Fœdæq; pallorem famis,
Ab hac fugauit arcula:
In quam parentum ex ædibus
Nos lêgit annis floridis,
Verè Deum cognoscere,
Moresq; sanctos discere.
Non lingua, non mens sufficit
Efferre laudes debitas,

Deo nec ullis possumus
Seclis referre gratias.
Deus pater sancte ac bone,
Defende nos in posterum,
Nostramq; confundi sine
Non aspero spem tempore.
Sit usq; tuta hæc arcula,
Patres, magistri, principes:
His pareamus, ut tuæ
Vim sentiamus gratiæ.
Qui liberauit, condidit,
Sacrauit hæc corpuscula,
Sit laus, honor patri Deo,
Cum Filio & Flatu sacro.

PRO CONSERVATIONE uniuersi.

VErbi Pater potentia:
Lucis creans exordia,
Cœlum locans, fundans solum,
Et magna profers lumina.
Tuo moues Spiramine
Volatile atq; reptile,
Et factum Adamum de luto,
Ornas sacrata imagine.
Tu cuncta propter nos struis,
Ipsos tui nos gratia,
Perire quæso ne sine
Opus potentis dexteræ.
Da te colamus, & tibi
Grates agamus debitas,

Tuisq;

Tuisq; donis omnibus
Pijs fruamur mentibus.

PRO ECCLESIAE LIberatione.

DEus pater mitißime,
Nos in tuo uerbo tene.
Tuiq; filij throno
Infesta perde nomina.
Tu Christe uires exere
Magnas, potentum maxime:
Laudesq; cantet ut tuas,
Gregem pusillum protege.
Solator alme Spiritus,
Conserua in unitate nos:
Præsens supremo tempore
Sis ductor in uitam è nece.

PECCATOR.

DE corde toto torqueor
Sensu doloris intimo,
Vultu quòd à tuo Deus
Peccator ingens arceor.
Velut leonis dentibus
Membris reuulsis differor,
Iacens miser, uclamine
Vt menstruato, sordeo.
Vt pondus alti Sionis,
Delicta me premunt mea:
Contraq; ut Hermon arduus
Nituntur heu me perditum.

Col.

Cor instar undæ, diffluit,
Telis acutis uulneror,
Vires iacent, artus stupent,
Ab inferis absorbeor.
Indignus istam scilicet
Lucem tueri, dignior
Propter reatus maximos
Damnari, & à Deo abijci.
Sic pressus eheu, recreor
Tua Pater clementia,
Quæ facta per te nobilis,
Nulli negata est pauperi.
Tibi Manasses cædibus
Pollutus, & rex bellua
Factus, placent: dum supplices
Tuam requirunt gratiam.
Dauid receptus est miser,
Et flens receptus Petrus est.
Iam Paulus illum prædicat
Iuratus ante perdere.
Te Christe peccatrix mouet
Afflicta, te clamans latro:
His dignus omnibus minus,
Commissa plango crimina.
Ne solum in unius caput
Infesta mitte fulmina.
Dignum Deo est, dignum male
Perire, si seruaueris.
Serua Deus, seruare te
Nam nullus excepto potest

Vna

Vna cruoris filij
Aegrum resperge guttula.
Tum leuet me Spiritus,
Totis iacentem uiribus:
Ego omnium sim, qui tuum
Regnum colant, uel infimus.

CONTRA HOSTES AETATIS TENERÆ.

DEO PATRI.

PEccauimus Pater tibi,
Tuisq; iußis uiuere
Ingrata gens negleximus,
Hinc ira detonat tua
Iusta in rebelles filios.
In nos ab ultimo mari
Insurgit atra bellua,
Rictus aperta, ut lancinet
Nostra & parentum corpora:
Deus Pater per Filium
Nos libera mitis tuum:
Tuisq; sanctis Angelis
Os sauientis comprime,
Vt uicta uis tyrannica,
Solum Deum te sentiat.

DEO FILIO.

HEu Christe, quidquid est, malum est,
Mens, uita, cogitatio,
Mores, & actus, & caro:
Hinc undiq; crux imminet,
Et mors, & arma Turcica

In nos proteruos perfurunt.
A' morte quis nos eripit?
Aut quis tuetur à fero
Paruos tyranno? præter ô
Te Christe: cuius in sinu
Gestamur atq; brachijs.
Per te, tuam fidem, sacra
Per obsecramus uulnera,
Defende, quos fuso tibi
Cruore blandus asseris.

DEO SPIRITVI SANCTO.

QVod eloqui uox balbula
Nescit, potens facundia
Loquare, sancte Spiritus.
In nos metus & omnia
Exempla pœnarum ruunt,
Matrumq; fletus uberes
Micante corde cernimus.
Deus, die quem noctes q;
Casta salutamus prece,
Serua pusillos, & truces
Auerte uultus hostium,
Et frange uires dæmonum.
Pugnante pro nobis Deo
Coguntur arma principum
Ferocientum cedere.

IN NATIVITATE CHRISTI.

Ecce Maria genuit nobis Saluatorem.

PVellæ partu emittitur

Prolem

Prolem Deum, qui conditi est
Seruator orbis, quem uidens
Voce hac Iohannes personat
En Agnus innocens, Dei
En sempiternis filius,
Cruore qui nos proprio
Quæsiuit, emptor prodigus.

DE EADEM.

Grates nunc omnes reddamus
Domino Deo.

GRates Deo per omnia,
Natiuitate qui sua
Nos liberauit uinculis
Iugoq; diri dæmonis.
Huic cum beatis perpetim
Hymnum canamus Angelis
Sit laus & exultatio
Aeterno in excelsis Deo.

DE EADEM.

O admirabile commercium.

O nexus admirabilis,
Deus creator est homo,
Castaq; corpus carneum
Sumens puella nascitur.
Et lætus exiens suo
Vt sponsus ornatus thoro,
Nobis suæ communicat
Diuinitatis gloriam.

DE

DE EADEM.

Diuinus & blandus puer
Hoc natus est nobis die,
Intaminata uirgine
Solatio mortalibus.
Hoc absq; filio foret,
Omnes perissemus simul:
Sed missa cœlitùs salus
Ad uniuersos pertinet.
O Christe tu dulcißime
Iam facte pro nobis homo,
Nos imbecilles ac malos
Non inferis mergi sine.

DE RESVRRECTIONE.

CHristus resurrexit, malis
Pœnæ leuatus omnibus.
Plaudamus isto gaudio,
Nostro unico solatio.
Nisi ille nobis redditus,
Orbis fuisset perditus:
Illi recepto sit pio
Cum iubilatu gloria.

IN EPIPHANIA CHRISTI.

Illuminare, illuminare Hierusalem.
ecce lux tua.

ILluminare, & exere
Vrbs magna te Hierusalem,
Inusitata lux, tua
Fulget per alta mœnia.

Tibi redemptor ortus est,
Et eius te super micat,
Negata quondam gentibus
A te reuulsis, gloria.
Caligo terras occupat,
Mundus tenebris ambulat.
Tu sola Messiæ domus,
Et chara ab æuo filia.
En lumen ad tuum quoq;
Gentes frequentes currunt,
En sceptra submittunt tibi
Magni per orbem principes.

AD SPIRITVM SANCTVM,

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium.

ADes beate Spiritus,
Mentes reple fidelium,
Flammamq; amoris de tuo
Accende mitis lumine.
A solis ortu ad limites
Mundi, remotas congrega
Qui lingua & ore discrepant
Gentes, ut unum sint fide.

PRO PACE.

Da pacem Domine in diebus nostris.

O Pacis & concordiæ
Auctor, parensq; maxime,

Præbe

Præbe quietis prospera
Nostris diebus tempora.
Cernant mali, nihil tuam
Contra ualere dexteram:
Pugnare tu potens Deus,
Seruare nos q; cœlitus.

PRO ECCLESIA.

COntere Domine fortitudinem
Inimicorum tuorum:
Vires tuorum contere
Deus potenter hostium;
Disperge fortis agmina,
Pijs iniqua cœtibus.
Ni tu Deus, nullus tuæ
Defensor est Ecclesiæ:
Et te, geruntur irrita,
Non præliante, prælia.

PRO OPPORTVNA TEMpestate.

Domine Deus Abraham dona nobis, &c.

TVuerus in uerbis Deus,
Promissa præstans Abrahæ,
De stirpe cuius prodijt
Tuus perennis filius:
Da terra fructus proferat,
Et corpus omne nutriat.
Auerte sidus noxium,

Atras procellas turbinum.
Vt omnis hoc sciat caro,
Nutu foueri se tuo:
Vt noscat omnis gens Deum,
Eiusq; IESVM Filium.

PRO REMISSIONE PECcatorum.

Aufer à nobis Domine cunctas iniquitates nostras.

IGnosce mitis & bonus,
Cunctis iniquitatibus,
Tua ingredi sacraria
Puris queamus mentibus.
Tuo redemptam sanguine,
O Christe gentem respice:
Aeterna nec per tempora
Iratus, infer fulmina.
Audi preces clamantium,
Nec sperne uota supplicum,
O Christe pro nobis tuum
Orans Parentem mitiga.

PRO IMPETRANDA DEI misericordia.

DMedia uita in morte sumus.
Vm uita nobis optima
Decurrit, inclusi necis
Certæ tenemur uinculis,
Morimur diebus singulis.
Ad quem patronum currimus,
Quem ue aduocatum poscimus?

Tu deprecator es Deus.
Nobisq; asylum perditis.
A' matre labes nascimur,
In labe multa uiuimus:
Propter Deus tot tantaq;
Peccata iure irasceris.
O' sancte, fortis, optime
Seruator, ô clemens Deus,
Impœnitentes ne citò
Amara mors nos auferat.

PRO BEATO E' VITA exitu.

Nunc dimittis seruum tuum Domine.

NVnc est mori felicitas,
Nunc hinc abire gaudium:
Postquam meo uidi, Deum
Mundi salutem, lumine.
In hunc oculos qui flexerint,
Gentes, Ebræi, barbari,
Vera fide, nunquam horridi
Lethi dolorem sentient.
Hoc gentibus lumen micat,
Quàm latus orbis ambitus,
Et Israelis inclita
In hoc feretur gloria.

DE ADVENTV CHRISTI glorioso.

Ecce Dominus veniet.

REdibit Heros fulgido
Totus coruscus lumine,
Cingetq; sanctorum chorus
Suum corona principem.
Non ulla fulserit prius
Lux maior, illa quàm die
Fines per orbis, omnium
Stringet piorum lumina.

IESV CHRISTE RESPICE-
re digneris super me miserum.

O Christe IESV, qui finis
Planè perire neminem:
Et id profuso largiter
Probas Redemptor sanguine:
In me iacentem, plurimo
Fœdum reatu, respice,
Illo beato patriæ
Miserationis lumine:
Quo Petrus aulæ in atrio,
Et Magdalis conuiuio,
Et in crucis latro tibi
Visus fuit patibulo.
Hanc da petenti gratiam,
Vt cum Petro dignè fleam:
Cum Magdali te diligam,
Et cum latrone te sequar,
Ad illa cœli gaudia,
Audita nullis auribus,
Quæ non potest mens assequi,

Sonare

Bonæ re lingua, os eloqui.

VENITE, REVERTAMVR ad Dominum.

VEnite, rursus ad Deum
Gradu citato currite,
In cuius est clementia,
Tutela, spes, redemptio.
Ceu rugientis bestiæ
Nos dissipauit rictibus,
Sed admouebit patriam
Nostro dolori dexteram.
Notauit ille liuido
Nos sauciatos uerbere,
Idem cruore tabida
Ipse alligabit uulnera.
Perferte adhuc unum diem,
Vnumq; adhuc quiescite,
En uita, pax, perennitas,
Die redibunt tertio.
Tunc multa gens ab omnibus
Accurret orbis terminis,
Et ante conspectum Dei
Hymnis sonabit dulcibus.

HYMNORVM LIBRI V.
FINIS.

ILLVSRTRIBVS DVCIBVS AC DD. IOHANNI ET SIGISMVNDO D. IOHANNIS Alberti Ducis Megalburgiorum, & Vandalorum Principis, &c. FF. S. D.

GEORGIVS FABRICIVS Chemnicensis.

NOctes beatas, Flamini
Tibi uigilatas, cantica
Queis explicasti Dauidis,
Docto ore, puro pectore,
Te lumen Italûm, decus
Cœli, inquietat conditum
(Nefas inauditum prius)
Crematq; Paulus pontifex:
IESV, quòd erat tabescere
Tibi amore, res dulcissima.
Fas sit tua ingredi mihi
Laudata per uestigia,
Paanas excelsis Dei
Dum canto dignos Angelis:
Fas sit Latino carmine
Vrbes per Hesperias loqui,

Non

Non dicta, quod sciam, hactenus
Facta Angelorum splendida:
Frontiq; decerptam sacris
Hortis, oliuam imponere.
Dum turpe multos ocium,
Damnosa per diem alea
Delectat, aut iuuat mero
Curas tenaces soluere,
Aut perdere auum crimine
Intemperante noctibus:
Inter labores plurimos,
Quos sustinere me Deus
Iussit, leuamen quæritans,
Tuli manus ad barbiton,
Cælo leuatus, & sacro
Adiutus à spiramine:
Sanctos amores, inclita
Facta Angelorum prodidi:
Mortale quis genus datum
Custodiendum cælitùs.
Turpe est, Pataraum Pindaro,
Heroas Hermippo Atticos
Fuisse cantatos lyra:
Aegyptium à Telchinibus
Regem celebratum Musicis:

Et Christianam tale nil
Legisse adhuc Ecclesiam.
Sed credo, erunt multi tamen
Pij & colentes numinis,
Qui dithyrambos Bacchicos,
Pedemq; homicidam, molleq;
Carmen furentis Cyprie,
Panisq; agrestem fistulam,
Nugas perosi maximas,
Olim canent, digna & Deo
Et Christianis moribus:
Vt ante uenturi queant
Stare tribunal iudicis,
Cum facta dictaq; omnia
Libranda momentis erunt.
Nostrum, benigni Principes,
Sanguis parentum nobilis,
Virtute patris, & pia
Matris pudore atq; optimis
Mox educandi moribus:
Nostrum laborem uultibus
Tueamini clementibus,
Et non graui amplexamini
Istos libellos brachio.
Nam quot pagellas, tot sinus

Sacras

Sacros geretis Angelos.
Hi uos parentesq́ inclitos,
Christo iubente & auspice,
Tegant malis ab omnibus,
Donentq́ uestro seculo
Bonam quietem, floridam
Rempublicam, decq́ impijs
Claros triumphos hostibus.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS PAEANVM ANGELICORVM Liber Primus.

AD DEVM OMNIPOTENtem, misericordem, propitium INVOCATIO.

IN alta tollor, igneas
Perlustro sedes, transferor
Superna ad usq; limina.
Accedo liber, sed sacro
Nil ausus absq; numine.
Nimis nec audax aduoco
Socios, beatos Spiritus:
Non terra mentes arduas
Aequiparo, carnis uiribus.
Quod tu Deus, pater meus,
Pater Angelorum præcipis,

Id gratus asscribo tibi,
Tuisq; pulchris Angelis,
Dulces amores, dulcia
Animo uolutans gaudia.
Ades Deus parens, ades
Fili Dei, atq; particeps
Vis utriusq; numinis
Nati Patrisq; Spiritus.
Normaniæ haud ignota sunt,
Et ultimæ Cornubiæ,
Bithyniæq; littora,
Ripæq; Araxis & Lyci,
Sacris frequentata Angelis.
Sunt arduæ illa montium,
Pulsata fluctibus maris,
Malea, Garganus mihi
Audita; præcelsis iuuat
Pedem sacellis figere:
Sed non ut illa cæca gens
Figit, Deo uni debitam
Quæ dat creatis gloriam.
Non ullus unquam passus est
Vel se inuocari, uel coli
Honore diuino Angelus.
Nam qui creauit, conditis
Est maior & potentior.
Testes Tobias, Manoas,
Auctorq; libri absconditi:
Noli (inquit Angelus) genu
Fratri atq; conseruo tuo,

Christo

Christo sed uni flectere.
Hac uoce, sensu, pectore,
Illos coruscos, igneos,
Puros canamus spiritus,
Dei ministros quos ait
Omnis piorum concio.
Mecum tenelli filij,
Linguis sonate balbulis,
Totoq; læti pectore
Io io depromite:
Vos nosse par est omniũ
Dei, merentis munera,
Qui uos potente filij
Manu, per Angelos suos
Nocte ac die, horis omnibus
Fouet, tuetur, sustinet.
Tu rector autem maxime,
Cœli soliq; præpotens,
Benigne, miserator Deus,
Ades mihi, linguam imbue
Illo fluente nectare,
Quo tu poetas in tua
Inebrias præconia.
Tu barbiton moue, & lyræ
Intende chordas aureæ:
Quidquid cano in laudes tuas
Exaudiens Ecclesia
Probet, tuoq; gratias
Dicat perennes nomini.
Sedem piæ frequentiæ

Fac

Fac iussionibus tuis
Defendat altus Gabriel,
Qui sæpe de cœlo tua
Mandata fidus detulit:
Nostras quoq; urbes, & casas,
Cum Michaele Raphael
Defendat, assueti graues
Iuuare res mortalium.

ANGELI CHERVBINI & Seraphini.

PAEAN PRIMVS.

AB ortu, in hoc sunt condita
Alata cœlorum agmina,
Coruſca flammis, oreq;
Vibrantiora fulgure:
Vt conditori, aspectibus
Cuius beantur, seruiant,
Eumq; tollant omnibus
Sono, tuba, ore seculis:
Rerum Parentem scilicet,
Natumq;, & almum Spiritum;
Quem conspicantur triplici
Persona, & unum gloria:
Quem prædicant nocte ac die,
Satis nec unquam prædicant.
Quamuis ad illius thronum
Centena mille millia,
Et millies tot millia
Linguas resoluant cantibus,

Tubisq;

Tubisq; clangant aureis.
Virtus, decus, uictoria,
Triumphus, exultatio,
Nostro patri, qui solus est
Deus, nec id communicat
Celebre nomen alteri.
Cœlum mouet nutu, & solum
Terrarum habet subsellium.
Cui currus æther lucidus,
Nubes eunti semitæ,
Ventorum & ala quadrupes.
Pontum coercet, infimæ
Sinus abyssi permeat.
Cui propria est sedes polus,
Tamen per omnes it locis,
Cumq; urbibus complet uias.
Lustratq; seruatq; omnia,
Videnda, non uidendaq;,
Ima & superna, & infera.
Idem benignus aduocat
Vltro genus mortalium,
Et uictor hostium, auspice
Christo, triumphata opprimit
Peccata, mortem, dæmonem.
Idem in sua aula regia,
Sacro tuente Spiritu,
Sedes reseruat gemmeas,
Homines fugatis angelis
Quas occupent rebellibus.
Hæc uniuersi concinunt,

Hæc

Hæc ſinguli Angeli ſonant
Clamore, plauſu, iubilo.
Hos perſequentes canticis,
Nablo, choreis, tympano,
Pij, quot eſtis undiq;,
Deum ueneramini, Deo
Canite, ter almo, ſanctaq;
Debuccinate nomina,
Inflate uocis organa.
Tu ſolus altus, ſolus es
Potens & admirabilis:
Tuaq; laude & gloria
Clementiaq;, plena ſunt
Tellus, profundum, ſidera.

ANGELI HEROES, DOMINI ac potentes.

PAEAN II.

IN ueritatis lumine
Stetêre magni principes,
Heroes alti, fortia &
Inuicta cœlorum agmina:
Quæ militant Altiſſimo
Equis, quadrigis, dextera
Interneciua, iuſſaq;
Dicto exequuntur ocyus.
Cœleſtis illa concio,
Nitore uincit heſperum,
Splendore ſolis lumina,
Puras niues albedine.

Pernicior

Pernicior uentis, magis
Premens retorto fulmine.
Quantum potest exercitus
Armatus ære, machinis
Horrendus, aspectu efficit
Tantum uel unus Angelus.
Cœlum tenentes ignei
Deum intuentur spiritus,
In luce magna & inuia:
Nec deserunt terras tamen
Illis ministrantes, Deum
Vero colunt qui pectore.
Terrent tyrannos, impios:
Mulctant trucidantq;, urbium
Vertunt in illos mœnia.
Hypocritis pugnant, malas
Diras in optatum bonum,
Et læta uertunt omnia.
Terras peragrant & mare,
Intrantq; tetra carceruum.
Doloribus nostris dolent,
Gaudent uicissim gaudijs.
Vt murus urbem, fossaq;
Vallumq; cingit, Angeli
Sic sæpientes corpora,
Domosq; & agros, hinc & hinc
Seruant, & acres obuiant,
Ne prauus ille & degener
Ritu leonis ambulans
Inuadat, incautis dolos

Serens, neccém; incredulis,
Sit unus à dextris mihi,
Cœli ambientum principem
Heroum, & omnes hostium
Spernam ferocum copias.
Qui Ionatham cum seruulo
Per rupium cautes leuat:
Qui terret à CHRISTI oferum
Saxo sepulchri militem:
Nos nostraq; idem peruigil
Custos tuetur omnia.
Qui Dauidis fundam regit,
Duratq; Paulo, uerberi
Fortem ferendo, uiribus
Nobis sacrati Flaminiis
Constans adest, & fulgidas
Heroas ad dextram locat,
Sterni atque uinci nescios.

ARCHANGELI.

PAEAN III.

INter minora sidera
Luna emicat, lunam sua
Sol luce uincit maxima:
Non inuident lunæ tamen
Stellæ decórem; nec super
Sol astra se fert cætera,
Suus cuiq; cursus est,
Et magnitudo, & claritas:
Nec tardus impedit citi

Motum

Motum uolucrem, sed bono
Cœli reguntur ordine, &
Concordia immutabili:
Nec forma cœlorum extra
Dissentit illi absconditæ,
Sed uerus & concors Deus
Gubernat unus omnia.
Sunt Angelorum munera
Diuersa, certiq; ordines,
Idem probantium una mens
Est, & uoluntas omnium,
Deoq; parent singuli,
Et uniuersi: in omnibus
Prælustris es tu Gabriel
Cum bis tribus, qui nomine
Estis uocati principe.
Altissimi quod uox DEI
Iubet, minatur dextera,
Vertexq; summus innuit,
Vobis ministris strenuis
Vno statim fit impetu.
Nec uos in arce regia
Patris facessere optimi
Mandata mirum, aut dæmoni
Pugnare celsis uiribus,
Virtute quem Christe Dei
Iure increpatis, cui iugum
Vinclis ligato imponitis:
Sed uos beatos cœlites
Curare nos, prauum genus

Natura, & actionibus,
Hoc laude dignum & carmine.
Vos ad Deum fidas preces
Noſtram in ſalutem funditis,
Vos eius ore & pectore
Semper fruentes, nuncij
Sæpe eſtis optatiſſimi.
Viles egenti qui cibos
Dat, aut lacernam pauperi,
Qui mortuo terram injicit,
Tectoq; curat hoſpitem:
Bius, Parenti maximo
Fertis, refertis nomina.
Quod tu Tobia ciuibus
Præſtas peremptis, Corneli
Quam das ſtipem plebeculæ,
Hanc ante prædicant Deum,
Tanquam data ipſi munera,
Linguis diſertis Angeli.
Te laudibus, te carmine
Pater ſupreme: cum tuo
Nato fideli tollimus,
Spirabiliq; numine,
Olimq; coniuncti Angelis
Tuo fauore fratribus,
Te ſeculorum ſeculis
Non deſinemus tollere.

AMEN

ANGELVS MINISTER Christi.

PAEAN IIII.

A Voce cuius omnia
Stant ordinatim condita,
Terræ iacentes, & poli
Volumen, altaq; æquora,
Cui uentus, ignis, grandines,
Fluctus, procellæ, fulmina
Parent uocanti, Christus est.
In cuius aspectu micant
Virtus, potestates, throni,
Et principatus: dignitas
Cœlestis omnis cui tegit
Vultus, & ad pedes iacet,
Mandata cuius Gabriel
Velox faceßit, Christus est.
Æternus æterni Dei
Et uirginis qui filius,
Me propter, arduo sitit
Ligno, atq; deserto esurit,
Et sudat horto sanguinem.
Fugit fames, Satan abit,
Cœtus propinquant alites:
Cessant fluenta sanguinis,
Tergentis Angeli manu,
Sitientis & solatio.
Miranda res, mortalibus
Nec efferenda uocibus,

Quòd à creato conditor
Deus leuatur Angelo.
Nil asperum, nil durum ei
Cui Christus est Deus: sacri
Cui sunt fauentes Angeli.
" Nam perferendum quidquid est,
" Hoc leue fit, Christo duce:
Et quidquid imminet mali,
Ab Angelis cœlestibus
Auertitur, Christo duce.

ANGELVS CONSILIARIVS.

PAEAN V.

IN rebus incertis, nihil
Cùm mens opis prouiderit,
Expersq; pectus consili
Et huc & illuc fluctuat:
Te nostra Christe lumina
Solum tuentur, & tuam
Metuq; speq; hærentia
Efflagitant præsentiam.
Per Spiritum sanctum, & bonos
Qui consulis per Angelos,
Iacobe quid non senseras
Labane sub duro asperi?
Auctore donec liberam
Fugam capesis Angelo.
Vestro Sabæi sanguine
Gauisus Herodes foret:
Sed ire monstratum est uia

Ductor

Ductore tutas Angelo.
Ioseph ipse cum pia
Mactatus esset uirgine;
Ni reperisset hospitem
Per Angelos Aegyptium,
Vixisset orbus lumine
Semper Tobias, Angelo
Sed consulente, turbida
Vehunt medelam littora.
O CHRISTE, quas grates Deus
Tibi feramus: quas Pater
Tibi alte: quas ue Spiritus,
Tuo sacrate numini?
Tu lumen es cæco & uia,
Tu certitudo errantibus,
Intelligentiam tibi
Communicas credentibus.
Et solus ut nutu potes
Præstare, quæ uis, omnia
Visum tamen sagacibus
Vti ministris Angelis:
Per quos gubernas, consulis,
Vlciscéris, quo tempore
Placet, loco q; : qui tuo
Vultu fruuntur, nec tamen
Nos nostra q; unquam deserunt.
Non ignis in turri potest
Noctu latére, aut arduo
Arx structa monte per diem;
Nec Angelorum unquam latet

Nocte ac die præsentia.

ANGELVS DOCTOR. PAEANVM.

O Cæca mens, incertaq;
Manus, pedesq; lubrici:
O cogitatus pessimi,
Sensusq; corruptissimi,
Ni nos iuuemur à DEO
Nostro patre atq; principe:
Regamur aut fidelibus
Ab Angelis doctoribus.
Abramus ense filium
Ne tollat exerto unicum:
Moses periret ne suo
Non diminuto filio:
Regens manus & pectora
Ambobus auctor Angelus.
Simsona nobilem fore,
Dantem salutem patriæ,
Et nasciturum, nuncium
Christi, Iohannem: matribus
Clausis, nec aptis partui,
Miracula affert Angelus.
Docet fugacem Hagarim
Herile ne uitet iugum,
Absq; & querela seruiat.
Docet Philippum, ut hospiti
Desideranti discere
Festinet Eoo obuius.

Docet

Docet Petrum, ne dicere,
Præfractus impurum audeat,
Quòd Christus emundauerit.
Ierubbahali de die
Victoriam denunciat,
Qua uindicaturus breui
Sit seruientes hostibus.
De nocte Tarsensi astitit
Ante ora dicens, non maris
Iram timendam & fluctuum,
Commilitoni naufrago.
O' ter beatos & quater
Reges tyrannos, seruulos,
Qui talibus doctoribus
Parent, monentesq; audiunt.
Tu Christe sic nos inscios
Duc, imperitos sic doce,
Vt Angelorum iußibus
Fido obsequamur pectore,
Vt Angelorum uultibus
Lætemur omni tempore.

ANGELVS BELLATOR contra hostes.

PAEAN VII.

NOn funda Alani, Sarmatæ
Arcus, Galaulæ cruppea
Hostem fugant, nec Teutonis
Bombarda, fulmini æmula.
Vis maior & sublimior

Genti Dei, Christi gregi,
Vbiq; præsens, cœlitus
Impertijt uictoriam.
Sunt mille supra millia,
Totidemq; mille millia
Heroum, alti spiritus:
Quorum uel unus millia,
Iterumq; mille millia
Potens fugare & cædere.
Comæ quid horrent, & stupor
Obtusa cæcat lumina?
Quid corde uirtus defluit?
Num luce Eoa Michael,
Reges pios & principes
Iuuare promptus astitit?
Nec uult latere, sicuti
Latêre nescit adiuuans:
Ipse anteuertens agmina
Solo Cænopi euntia,
Gentes Chananæûm territas
Crabrone uexat, postea
Et grandine & saxo eiecit.
Ipse ante clausa mœnia
Hierrichuntis, nobilis
Exercitus dux excubat,
Tubæq; clangentis sono
Impellit alta turrium.
Superba Rabsacen iuuat
Quid uox? cecîdit unius
Inuicta uirtus Angeli

Genium

Centum Syrorum millia:
Necdum sopore dux erat
Graui solutus, addidit
Bellator idem & altera
Decem bis octo millia.
Num Lysiam Inda bestia
Defendit, aut uis militum?
Cum gente qui pugnat DEI,
Cœli repugnat principi.
Candente sago uisus est,
Hastaq; purus aurea,
Qui misit in turpem fugam
Sæuas cohortes, Angelus.
Machæra Cambysis ferit
Nudata, captiuum gregem
Dei petebat, iure quam
Cornutus Apis senserat,
Vaccæ maritus Inachis:
Illi sed obstans Angelus,
Ponit trophæum, nec sinit
Cædem innocentum atrociter
Dira patrari dextera.
O me malum, ô me incredulum,
Exempla qui celebria,
Cœloq; & orbi cognita,
Et lentus ipse cogito,
Nimisq; segnis audio:
Nec gratus applico, & mihi
Mandata litteris puto.
Quis Turca tam cruentus est

Quis

Quis Moscobita tam ferus
Quamuis sua omnes agmina
Te Christe contra iungerent:
Nocere qui possent pio
Vni, tuente illum Deo,
Vno propugnante Angelo:
At nos tuetur (credite)
Deus, propugnant Angeli.

ANGELVS PROPVGNATOR contra Satanam.

PAEAN VIII.

CErtamem haud effabile
Nobis nec ullis uiribus
Est finiendum, spiritus
Contra furentes aëreis
Non uulnerantur ensibus,
Nullis sagittis concidunt:
Nec ocioſi luce sunt,
Nec nocte somnos nouerunt.
Durante sunt aspera
Semper magis certamine,
Cotidie flagrant noua
Ira, nec illorum capit
Furor modum: sunt omnibus
Aequè molesti, perfurunt
Die, tenebris territant.
Vinctas tenent nostras manus,
Et lubrici cor occupant,
Cum carne, cum mundo sua.

Habent

Habent uafri commercia.
Heu me, Angelorum protinus
Vultus decoros induunt,
Et uerba mellis, toxico
Liquente fundunt illita.
Non corpus est, non tuta mens
Væsano ab hoste & subdolo:
Ni Christe tu nos, ni tuus
Sustentet almus Spiritus,
Mandante quo, nos ætheris
Contra sagacem dæmonem
Corona cingit lucida.
Abi à piorum sedibus
Cruente, sicut pulsus es
Flamma fidei, & fumo precum
Casto à Tobiæ lectulo:
Perdâre mendax, qui malus
Interpres excelsi DEI,
Illis amœnis hortulis
Turbas Adamum credulum.
Pulchra illa uerba supprime,
Furata sacris paginis,
Quîs disputator ausus es,
Altißimi prolem aggredi.
Cribrare cessa turbidum
Metu & tremore Apostolum:
En neminem Dei manus,
Precesq; Christi deserunt.
Tace sceleste proditor,
Nos ante conspectum DEI

Iam

Iam criminari, candido
Agni nitentes uellere.
Nos ipse cœlorum Pater
In se tueri præcipit:
Nos Christus emundat, rubro
Nobis profuso sanguine:
Nec ille nostram Spiritus
Causam aduocatus deserit,
Qui corde pro nobis adest
Gemens inenarrabili.
Draco licet nos fluctibus
Oris procacis mergere
Conaris: est supra caput
Procinctus acer Angeli,
Qui uicit ante, te ego tuam
Sectam superbam Michael.
Ades polorum gloria,
Corona stipatrix DEI,
Manuq; forti protege
Deo dicata nomina.

ANGELVS ANIMATOR.

PAEAN IX.

HOstes adire, regibus
Loqui, fugare exercitus,
Hypocritis resistere,
Truces tyrannos uincere:
Non uirium est mortalium.
Mens nostra uano concita
Terroris aut mortis metu,
Formidolosa fluctuat,

Desperat insolabilis,
Planeq; nil sani sapit.
Tu summe spiritus DEI
Solamen, ardor, uiua uis,
Et fortitudo mentium:
Tu dux loqui, tu uincere
Mutis & imbecillibus:
Tibi Angelorum peruigil
Ignita, pernix natio
Plauditq;, iussaq; efficit.
Quos diligis tu, diligit:
Quos oderis tu, deserit.
Te Gideona duce Angelus
Fortem salutat, magnaq;
Fugare fecit agmina:
Cui uanus ense notior,
Rastrumq; lorica æneo
Mandante te non ausus est
Vates ad Euphratem, tuo
Mala imprecari militi:
Quamuis Moabus, & precem,
Aurum profusus adderet.
Te subleuante Ionathas
Cautes aeutus rupium
Scandit, solumq; concutit
Graui pede, innumerabiles
Fundens secansq; copias.
Loquente te uerbis Petri,
Et ore Iohannis, sedent
Senex, sacerdos, pontifex,

Muti & stupentes: carcerem
Noctuq; rumpit Angelus,
Præsente te uicit puer
Asclepiadem paruulus,
Doctis locuta infantia,
Tyrannus Orco traditus,
Puer leuatus Angelis.
Coram fatebor te Deus,
Hostes licet mei audiant,
Fatebor: est in me nihil
Totaq; carne & uiribus,
Virile, constans, strennuum,
Ad quod Deum imploro patrem,
Mihiq; Christum traditum,
Spiramen & te uiuidum,
Te suggerente & indice
Contendo, credo, & eloquor
Quòd angelos cœli deus,
Dei ministros, nomino
Fratres, cohæredes meos,
Non uatis ostentatio est,
Sed sermo uero uerior:
Quòd inuidis apostatis,
Quòd nil sophistis perfidis
Cedam, tuum est: tu sis mihi
Os, lingua, uirtus: Angeli
Sint corporis custodia.
Sin me uocas ad arduum
Certamen illud sanguinis,
Quod mille sudarunt pp

De

De morte, peccato, inferis
Dona inclitam victoriam.

ANGELVS VINDEX impietatis.

PAEAN X.

NOn est Deus, nec ullius
Vltrix potestas numinis
Hoc dicit omnis impius,
Fanda & nefanda perpetrans.
Libidinosus feruidæ
Blanditur ipse insaniæ,
Christus superbus erigens
Caput super fert nubila.
Non nouit immerentibus
Sitis cruenta parcere.
Sacris, prophanis improbus
Manus auarus injicit.
Quòd non Deus sit, talia
Qui facta committunt, suis
Fatentur actionibus.
Atqui fatebuntur tamen,
Cum rugientis cœperit
Instar leonis, turbidam
Potentis iracundia
Terrere conscientiam,
Velutq; grande incendium
Non reprimenda exarserit.
Tum iusserit quando Deus
Properare pœnas Angelos,

Impœnitentes impios
Contra, paratum exercitum.
Subsidit Asphaltis lacu
Turpis Gomorrhæus, Deo
Pluente sulphure ac pice.
Regis superbi audacia
Ebræa gens consumitur
Contagiosa phlegmone.
Exhulcerat putredine
Et uerme dira uiscera
Herodis, Angeli manu.
Miles Seleuci uasa fert
Aurumq; templi, cui dedit
Rapina furtuarium.
Arma Angelorum sunt faces,
Putredo, pestilentiæ,
Romphæa, & enses, impiæ
Iniuriœq; debitam
Semper necem minantia.
Atrociores hunc tamen
Pœnæ manent, post lugubrem,
Vitæ fugacis exitum:
Incus perennis, igneus
Caminus, intenta & premens
Sagitta, perpes corporis
Tortura, mentis inquies.

ANGELVS HOSTIS
incredulitatis.

PAEAN

PAEAN XI.

Coeli crepabit machina,
Peribit æther arduus,
Tellus debiscet arida:
Sed ore prolatum Dei
Verbum, manebit seculis
Interminum perennibus.
Qui credit huic, nec consulit
Carnem, aut obœdit sensibus,
Nec cordis idolum colit
Sui: hic manebit, & Deum
Claro uidebit lumine.
Nam quisquis est incredulus,
Manetq; mendacij arguit
Deum, grauesq; uindices
Ipsos habebit Angelos.
Quod quisque credit, impetrat,
Quod sperat, assecutus est.
Magnus mearum testis est
Sententiarum, Filius
Dei potens, & Filij
Dei sequaces Angeli.
Christo quòd infirmè Petrus
Credit, per undas ambulans,
Iam iam leuandus, mergitur.
Quòd Angelo non credidit,
Dei ferente mystica,
Zacharias obmutuit.
Quid hæsitas mens, quid Deo
Tam lenta cessas credere?

Quod ipse mandat, ipsius
Statim auspicare numine.
Quod ipse dicit, crede: nec
Falleris, in uita aut nece.
" Admittit omnes, reijcit
" Oditq; Christus neminem,
" Quamuis parum credat, modò
" Credat, magisq; credere
Velit magisq; : at hostis est
Incredulorum, nec suos
Illis adest per Angelos.
" Fides, uia ad cœlum : fides
Cunctis placet cœlestibus.

ANGELVS HVMILIS.

PAEAN XII.

Cœlo nihil serenius,
" Nihil paradiso pulchrius :
" Homo paradiso, & Angeli
Cœlo superbia excidunt.
" Qui plura sumit, quàm Deus
" Iubet, ministrat dæmoni,
Amittit & quæ possidet
Concessa dona cœlitùs.
Audax adorari cupit
Satan, Deoq; debitos
Furari honores assolet :
Aggressus ipsum Filium
Dei, proteruus exigit
Sibi in genu procumbere,

Cui

Cui regna ſpondet, non ſua.
Tales honores reſpuunt
Illi modeſti & ſimplices
Deoq; ſubiecti, Angeli:
Nec detrahunt Dei, & ſuo
Addunt procaces nomini.
Qui cum Tobia iter facit
Oblata dona, principi
Offerte, dixit, maximo,
Deiq; laudes omnibus
Cantate grati poſteris.
Qui Manoæ lætiſſimo
Pectus repleuit nuncio,
Hœdum recuſat, libaq;:
Et ſi quid, inquit, ferre uis,
Deo feras altiſſimo.
Qui ſe Iohanni præbuit
Byſſo uidendum, nuptias
Agni canens, ſe compotem
Fratremq; eorum prædicat,
Chriſtum Deum fatentium.
Sed anguis ille perfidus,
Ferox, ſuperbus, omnibus
Coli modis ſe poſtulat,
Nunc ære, nunc auro nitens,
Ligno dolatus, aut luto
Aut ductus argilla humida.
Homo modò, mox bellua,
Modò ſenex, modò puer,
Barbatus atque inuerſis eſt.

Vaccæ modò, & rictu canis,
Caudaq; turpis simiæ.
Iam loripes, iam centiceps,
Iam cornua hirci, iam capræ
Habet pedes, & auribus
Orbatus est & lumine.
Tenens trecenta nomina,
Saturnus, Ops, & [illegible]tercidus,
Febris, Scabies, Fortunaq;,
Mutinus, Orcus dicitur.
Delubra siluis, uallibus,
Saxis, & undis possidet.
Tectis, fenestris, limini,
Lustris, cloacis præsidet.
Sub terra, in aere inuenit,
Doctos & inter & rudes,
Sese colentum examina.
At tu pius cum n[illegible]ntibus
Pijs, sacratisq; Angelis
Deo Parenti, & Filio,
Auræq; miti supplica,
Vni Deo admirabili,
Rerumq; maximo omnium:
Quoq; ipse iussit, quoq; uult:
Modoq; menteq; inuoca.
Verbo deinceps te Dei
Contra petacis dæmonis
Mendacia & superbiam
Munitq; & arma: quo perit

Victus,

Victus, necantur sicuti
Odore dulci uultures.

ANGELVS LEGISLATOR.

PAEAN XIII.

MEntes beatæ, gloriam
Dei uidentes perpetim,
Throno propinquæ lucido,
Quod audiunt, & quod uident,
Testantur ac denunciant.
Velut chalybs imagines
Refert politus, sic Dei
Lex mentis index, omnis est
Virtutis absolutio:
Dictata uoce altissimi,
Excepta ab Angelis, dehinc
Iis ministris tradita.
Nubes, tonitru, fulgura
Permixta concrepant, niger
Ad astra fumus uoluitur,
Cùm scandit altum Sinai
Moses uocatus uerticem,
Audita & Angeli procul
Sonore acuto buccina.
Deo loquente mons tremit,
Candescit æther, uerbaq;
Sonant ab alto: solus est
Deus timendus, quemq; uult
Amari, amandus proximus.
Durum cor absit, prauа mens,

Et contumax sententia,
Vltrix uoluntas, dextera
Iniqua: sum uindex Deus
In multa iustus millia.
Porrecta ab Angeli manu,
Sancita cœli testibus,
Inscripta uerba hæc saxeis
Moses tabellis accipit,
Quæ porrò ut internuncius
Promulgat in gentem suam,
Mortem minatus aspera
Edicta negligentibus:
Edicta quæ nemo potest
Nec corde, nec facto exequi.
Monstrandus ergo Christus est
Hoc pædagogo: quem sacros
Per angelos interpretes
Fidos ministros cœlites,
Conceptum in aluo uirginis,
Natum, sepultum, mortuum,
Nostræ salutis gratia, &
Resuscitatum, patria
Tenere regna credimus.

ANGELVS EVANGELII ferens lætitiam.

PAEAN XIIII.

NOn maior ullus nuncius
Optatiorq; auditus est,
Quàm qui datum mortalibus

Christum

Christum salutem prædicat.
Hunc ipse Christus hortulis
Multicoloribus suo
Ore attulit, cum mortuis
Vitam, ueniam rebellibus
Promisit: atq; fœminæ
Semen futurum prodidit,
Quod flexuosi scilicet
Draconis ora elideret.
Mox patriarchis, regibus
Id nunciauit, Spiritus
Virtute sacri clarius,
De quo ue Messias docet
Venturus esset semine.
Hi tempus ipsum, & patriam,
Matremq; norunt uirginem,
Nomenq; nati nominant,
Locumq; monstrant, & nouam
Regis noui potentiam.
E Patris ergo prodidit
Sublime gaudium sinu.
Quod spiritus Dei pijs
Communicauit mentibus.
Labante tandem termino,
Descendit in terras Deus:
Manens & altis sedibus
Immanuel, uili iacet
Tecto coloni pauperis,
Cum matre pauper paupere.
Hunc Angelus pastoribus

Natum esse Bethlemicis
Narrat, ferens stupentibus
Percepta multis antea,
Sed uisa nulli gaudia:
Infantulum (inquit) uisite,
Herbis iacentem in aridis,
Et inuolutum fascijs:
Quæ signa erunt credentibus.
Huic concinunt per aërem,
Versu rotatæ triplici,
Turmæ Angelorum præpetes
Instar nitentes ætheris.
Patri feramus gloriam
Magno, potenti, interminæ,
Modò perennem cœlitus
Ad ima misit filium.
Christo canamus, qui Deo
Humana iungit, cœlites
Terrestribus: nunc prisca pax,
Prima & reducta fœdera.
Sancto sonemus Flamini,
Consentiunt enim Deo
In asperis, in lenibus
Mens & uoluntas omnium.
Hæc personantes dulcibus
Chori sacri concentibus,
Terras replent, replent polum,
Ingens ferentes gaudium.
Lætantium non sic merò
Corda auferuntur Biblino,

Nec

Nec tale præbet Musica
Mœrentibus solatium.
Iò canat, quisquis canit,
Iò respondent sidera:
Nam maius omni gaudio est
Nouisse Christum, scireq;
Eius beato nomine
Nos esse filios Dei.
Iò canat, quisquis canit,
Iò respondent sidera.

ANGELVS LVCTATOR.

PAEAN XV.

NOn arma semper induit
Miles nocendi gratia,
Se se nec exercet pugil
Hostem ut trucidet cæstibus.
Luctatur Angelus pio
Cum Patriarcha, cui semur
Vt luxet, eius non tamen
Nocere uitæ destinat.
Christus repellit ut canem,
Tristem & rogantem fœminam,
Sed mox eandem laudibus
Vehit, iuuatq; filiam.
Non tentat, ut perdat Deus:
Plagas nec infert, ut necet:
Vt auferat, non eripit.
Vt proterat, non dejcit.
Iacobus ipse uiribus

Præcel-

Præcellit altis Angeli,
Phœnissa cœpit in suo
Sermone cœli principem.
Gaudet fide uinci Deus,
Virtute gaudent Angeli.
Hæc lucta si nobis quoque
Mortem aut malum timentibus
Certanda: cùm tultum Deus
Ostendit auersum, & suis
Nobis repugnat Angelis:
O mentium dux Spiritus,
Patriq; Natoq; addite,
Et nos eidem copulans,
Adsis ualente robore.
Speremus in Deum, fide
Duremus inuicti, prece
Manum injiciamus: nos licet
Minetur ipse occidere.
Non ille maius, ferre quam
Pondus queamus, injicit,
Viresq; tentando supra,
Non opprimit potentia.
Amor paternus est Dei,
Fraterna Christi charitas,
Quamuis per obiectos procul
Spectanda cancellos, nigra
Obducta sit caligine:
Tamen fugatis omnibus
Et hinc & inde obstaculis,
Statim sereno in lumine

Se ſole profert clarior,
Dieq; ſudo illuſtrior.

ANGELVS LIBERATOR.

PAEAN XVI.

CVm Baalitis Iezabel,
Inſana cum fanaticis
Quærunt Eliam perdere:
Cingunt Syrorum Dothanæ
Equi uiriq; mœnia,
Iußi immerentem ducere.
Propheta concluſus lacu
Nigro, leones æquabat
Inter famelicos, cibus
Non non futurus beſtijs:
Nec auſus ignis lædere
Viros Ebræos, nec pilos,
Nec ſarabarras uſtulat:
Non baia, neruus, compedes,
Numella, robur, ferreæ
Tenent catenæ Apoſtolos:
Contra furores, armaq;
Currusq;, & ignes hoſtium,
Contra leones, uinclaq;
Seruant potentes Angeli.
Tu crede tantùm, & reſpice
Cunctis in ærumnis Deum:
Fides ad excelſi, latus
Patris ſedens, eſt Angelis
Iucunditati, & Filio

Dei

Dei perennis gloria.
» Fidei miniſtrant arduæ,
» Amica cœlorum agmina,
Velociora fulgure,
Penetrantiora fulmine.
Non terret hoſtis, non equus
Conculcat, aut uorat leo,
Non naphtha conſumit, ligant
Non uincla, quem circum Angeli
Ponunt ſacri cuſtodiam.

ANGELVS SALVTIS HOminum cupidus.

PAEAN XVII.

IO` triumphe, mens ſona,
Iò triumphe, uictus eſt
Calumniator inuidus,
Noſtræ ſalutis proditor.
Draco ille pertinacibus
Turbatus eſt cum copijs
A` Michaele, & in ſolum
Præceps ab aſtris decidit:
Sed ipſe ſolus infer is
Ne clauderetur uinculis
Addictus Orco, credulam
Pellexit arte uirginem,
Et perdit humanum genus:
Ipſi obſequens, ſperneus Deum.
Huius ruinam ſubleuat
Dei beatus Filius,

Homo

Roma ac Deus, calcans pede
Caput draconis liuidum.
Vinctus tenebris zabolus
Apostata, æterni Dei,
Vt perduellis, maxima
Damnatus est sententia.
Hunc ne sequamur amplius
Ausuq; libertateq;
Iniussa agendi: sed Deo
Obtemperemus principi
Strictiq; uiuentes, bonis
Simus pares ut Angelis,
Dei paratis nutui,
Dictoq; obœdientibus.
Vt fumus innubes apes,
Odor columbas tetrior
Fugat: fugantur Angeli
Sic luctuoso crimine,
Mentisq; culpa incredulæ.
Sin lapsus est quis, insitum
Morbum & fatetur & doleat
Hunc excipit Deus sinu,
Christus lacertis implicat,
Sacer salutat spiritus.
Gratantur huic turmæ aulicæ,
Commilitones impigri
Contra angelos apostatas.
Romanus haud sic plausibus
Gestit triumphans, cùm gregem
Trahit catenis hostium:

Quantum cohors cœlestium
Gaudetq́; plauditq́; tuius
Abiectione criminis,
E' fauce peccator mali
Cùm liberatur dæmonis.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS PAEANUM Angelicorum Liber Secundus.

Gabriel,

ANGELVS PRAESES Ecclesiarum.

HAud assecuta est ulla meus
Mortalis, haud novit caro,
Quàm mira sit defensio,
Et quàm stupenda Ecclesiæ
Cuius super tecta excubat
Dei coruscans Spiritus,
Murosq́; fulcit undiq;
Mille Angelorum obtutibus:
Cuius movendum nemini,
A' cœlicis aut inferis
Fundamen, ipse Christus est.
Probavit hoc, nomen Dei
De fortitudine Angelus,

Qui nactus est, cùm dextera
(Inusitatam ut sterneret
Deum inuocantibus uiam)
Fluctus marinos, mœnium
Instar teneret, obruens
Memphim, Syenen, Metilim,
Secreta & idem qui tulit,
Cælata cunctis antea:
Cùm Patriarchæ desuper
Est uisa scala, lucidi
Per quam mearent spiritus
Sursum, deorsum, dulcia
Illi mouentes somnia:
Et cùm Danieli temporæ
Diesq; certos explicat,
Quîs Christus ungendus foret,
Et danda mundo uictima.
Cùm dixit aluo uirginis
Deum teneri, & editum
Pastoribus denunciat,
Et mortuum iam uiuere,
Vectumq; ad astra, gloriæ
Narrat reuersurum pari.
Vbi hæc sonant oracula,
Et dicta sancta, Ecclesia est:
Hanc mille dæmon machinis,
Et mille delere artibus,
Ab orbe tentat condito:
Cui uis Dei alti Gabriel
Semper resistens, uiribus

Arcet rebelles copias.
Absq; hoc foret, non ulla uox
Christi canens insignia
Vllis sonaret ædibus:
Quod nunc Iberi & Tibridis
Ripæ queruntur, condolent
Ganges & Euphrates, gemunt
Asiæ, Africæq; littora.
Ne ne diem illum posteri
Viuant mei, quo pristinum
Vertantur in lutum, aurea
Quæ nos bearunt tempora.
Exurge Christe, uindica
Crucem tuam, gentem tuam.
Arma polos & Angelos
Contra furentem dæmonem,
Flatuq; disturbans tuo
Beelzebulis sphecias,
Præsta salubres floridæ
Cellas fauosq; Ecclesiæ.

Michael,

ANGELVS PRAEFECTVS imperijs & regnis.

PAEAN II.

NOn regna, Fortunæ bonum,
Vt finxit error ethnicus,
Non sceptra gesserunt mali
Casu, Nero & Maxentius:

Nec factus est rex Dauides,
Quòd patre rege natus est:
Nec impedit, quòd occupant
Sceptrum Israelis, uiribus
Peca & Baesa turpiter.
Omnis potestas de Dei "
Pendet uoluntate & manu. "
Imponit ipse frontibus
Regum coronas: ipse dat
Ensem, & rubentem purpuram
Bonis, ut augeant decus
Dei, sacræq; Ecclesiæ
Malis, ut æmulos suos,
Feramq; plebem puniant.
Vesano & Herodi, licet
Subdat tenellam infantiam
Indigna passuri gregis:
Parere sed tamen iubet
Simul bonis & improbis.
Omnis potestas publica "
Imago uiuentis Dei, "
Nutu regentis omnia.
At hostis ille perfidus
Deiq;, & eius ordinis,
Odit modestos principes,
Deiq; amantes nominis.
Obiectat illis obices,
Foditq; furtiuas scrobes,
Vt sternat astu aut uiribus.
Diruis faces aut subjcit

Cogens abuti ſæpius
Auro, & datis honoribus.
Non eſſet ulli latior
Palmo poteſtas uitaq;,
Ni pro ſalute principum
Deus piorum mitteret
Cœlo miniſtros Angelos.
Ter pugna ſeptenos dies
Durauit illa in Perſide,
Contra Pelaſgum ſpiritum
Et cædis & mendacij,
Cùm Michael tete Angelo
Minus ualenti iungeres.
Qui dictus à conſtantia
Eſt Imperator, Angelo
Geſtante uexillum crucis,
Maxentij & Licinij
Fudit truces Erinnyas,
Pax orbis, & Romæ pater.
Virtute nequaquam impari
Oenotrium contra lupum,
Iamiam tot annos dimicat
Excelſa Saxonum domus:
Quæ luſtra nunc ſupra nouem
Inuicta ſtat per Angelos.
Aeterne fili, maximi
Patris, guberna tu duces
Quos das, benigne: ne feris
Mundi per æquor naufragi
Periclitentur æſtubus.

Clauum

Clauum tene, nec remiges
Puppi recedant Angeli.
Ac dum tui uerbi tenax,
Et hospes est Ecclesiæ:
Sit uictor Albis Tibridis,
Et Balthico mari caput
Genuq; flectat Adria.
Te sic uolente, in ultima
Orbis senectute imperat
Regina nunc Germania:
Hanc esse tutam ab hostibus
Iube, atque iniqua Ecclesiæ
Tu regna perde barbara.

Raphael,

ANGELVS CVSTOS familiarum.

PAEAN III.

QVid tenellum, debile,
Nudum, imbecillum, intra lares
Cura fouendum sedula.
Matres, puellæ, liberi,
Ancillulæ, nutrix, puer,
Infirma gens: rectoribus
Egent, tegendi sunt sinu, &
Defensione patria.
Quòd si fugetur Angelus
Custosq; & altor, & medens,
Non mater ad iustum diem

Nutriret ulla paruulos:
Sed morbo, abortu, dulcia
Sæuè perirent pignora.
Non castus ancillas pudor,
Matresq; seruaret pias,
Seruiq; abirent perfugæ,
Heros uel ipsos tollerent.
Septum molossus sicuti
Noctes diesq; circumit
Lupo resistens: sic casas
Obire cum mapalibus
Armata, uindex peruigil,
Cœli solet custodia.
Cingunt ut urbem mœnia,
Serantq; uectes ut domum:
Sic seruat ædes Angelus
Patrum preces dicentium,
Quas manè, quasq; uesperi
Matrona siue ancillula,
Gratis recensent mentibus.
Sic nomen ingens pauperis
Tecti, Tobias saluus est.
Sic Hagar audit Angelum
Optata cantantem sibi.
Non multa uatis ianuam
Frangunt Syrorum millia.
Non hospitæ Sunamidi
Nocent Philistini truces.
Si Christe linguæ sint mihi
Aut ora centum, haud eloquar

Partum

Partem tuæ uel unicam
Inæstimandæ gratiæ.
Qui cœlites per Angelos
Cunis ab ipsis, liberas
A` mille nos periculis.
Sint tecta patrum sospita
Nutu tuo, ductu Angeli
Domestici: nec inferant
Aut uastitatem aut noxiam
Pestis, tyranni, incendia.
Obsint nec annis mollibus,
Castis bonisq; moribus,
Luxus, libido, scandala,
Consortiorum prauitas,
Curanda nunquam uulnera,
Et dira uitæ toxica.

ANGELVS CONCIONATOR.

PAEAN IIII.

TE Christe nouisse, unius
Donum est superni Spiritus:
Hanc excitas tamen tuis
Fidem ministris Angelis.
Conceptum in aluo uirginis
Vitæ datorem, Gabriel
Ad uirginem fert Angelus,
Natumq; mortalem Deum,
Fulgentis aulæ nuncij,
Agri canunt pastoribus.
Tum Christe post tuam inclitam

De morte, peccato, hostibus
Et inferis uictoriam,
Te ſuſcitatum uiuere
Narrat puellis Angelus,
Supraq; uectum ſidera
Magno triumpho, iudicem
Inde eſſe uenturum, canunt
Apoſtolis præſentibus,
Stolis in albis Angeli.
Hæc auribus mortalium
Audita nullis antea,
Cœlo beati nuncij
Cum gaudio & plauſu ferunt.
Aures beatæ, quæ pios
Dei miniſtros audiunt,
Quæq; audiêre, in intimis
Cuſtodiunt præcordijs.
Sis uirgo, paſtor, fœmina,
Sis publicanus, & maris
Trahens ad undas retia,
Te reſpicit cœlo Deus,
Tibi miniſtrant Angeli.
Moue lyram, altùm perſona,
Mentes ſecutus arduas:
Vox omnis, omnis barbitos
Magni crepet nomen Dei,
Eiusq; Chriſti filij.

ANGELVS HOMINVM
altor.

PAEAN

PAEAN V.

Nostros in usus efferunt
Metalla terræ uiscera,
Frumenta tellus, sidera
Cœlum, natantes æquora:
Benignus ista singulis
Dat annuatim conditor,
Eademq; dispensat sua
Augetq; Christus dextera.
Is manna de cœlo pluit
Largis legendum sportulis:
Is sæpe paucis panibus
Pauit sequentum millia.
Idem in specu escas prouidus
Capto prophetæ præbuit,
Flauæ leonum quem iubæ
Siccis premebant faucibus.
Vitæ perosum ac luminis
Vatem, tyrannidis metu,
Vastis Eliam in locis
Libo atque fonte nutrijt.
Hoc Angelorum per manus
Miraculosas efficit:
Quos esse mandat omnium
Fortes piorum præsides.
Iacobus ipse concinit
Grates Deo, quòd se exulem,
Pressumq; mille iniurijs,
Per Angelum nutriuerit:
Illo à die, quo is exijt

Fratris ſagarim, uſq; ad diem
Quo ſe propinquum ſentiens
Neci, beatos expetit
Vultus parentum cernere.
Quis hæreat ſpem ponere
Patrem in Deum mitiſſimum,
Nobis alendis qui ſolum,
Cœlos & undas condidit?
Tum qui cibos egentibus
Curat ſuos per Angelos,
Roſtro & uoracis alitis
Deportat, & cœlo pluit
Placente rore: qui greges
Non eſurire uermium
Sinit puſillos, quiq; alit
Mergum, palumbos, paſſeres.
Theſaurus ille dives eſt,
Et largiendo ditior
Fit ſemper, atque ſumptibus
Abundat & ſuperfluit.
Clauſus nec ulli, qui ſolet
Opes ſupernas per fidem
Precesq; certus poſcere.
En Chriſtus offert, en pater
Promittit altus, en ſacri
Dant in ſinum tibi Angeli.

ANGELVS COMES.

PAEAN VI.

NOn Pallas in noſtra ſedet

Vigil

Vigil carina: non uijs
Simul uagantur humidis
Iligna Troiæ numina.
Non cæpa nos Memphitica,
Non oxyrinchus soſpitat:
Aut anſer ille, Sionis
Aduectus arcem, Francicus.
Comes uiarum Chriſtus eſt,
Gnauos ſuos per Angelos.
Noli ſtupere carmine
Noſtro loquax prophanitas,
Quæ narro, uera cognita,
Magnis probamus teſtibus.
Quis iußit imbrem ſulphuris
Cum filiabus te Lothe
Exire? & Eliezeri
Monſtrauit externis locis
Hero dicatam uirginem?
In regna quis nam Medica
Duxit Tobiam, & reddidit
Cæco parenti? Iuditham
In caſtra quisue hoſtilia
Secutus, in uulnus ducis
Direxit harpen fœminæ?
Debentur iſta lucidis
Miranda facta mentibus,
Quas nulla tardant obſita
Craſſis tenebris corpora.
Amor paternus eſt Dei,
Quòd nos fideli per ſuos

Satellites custodia
Ducit: fides fraternaq;
Est Angelorum quòd suam
Genti imbecillæ & infimæ
Non obsequelam denegant.

ANGELVS HOSPES.

PAEAN VII.

IVstus rapacis & mali
Solet, profusi temperans
Vitare consuetudinem:
" Nam rara diuersissimis
" In moribus concordia est.
At ille rector cœlitum,
Amplexus humanum genus,
Mortalis, & uerus Deus,
Cum publicanis uisus est
Sedere, & escas carpere,
Cum Magdalena, & fœmina
Samaritana colloqui.
Pendêre uisus in cruce
Est cum latrone: scilicet
Vt nostra soluens crimina
Ciues polorum redderet.
Mores creatoris sui
Casti sequuntur Angeli,
Qui non recusant paruulas
Casas eorum uisere
Qui sunt colentes numinis.
Assedit Angelus tuæ

Mensæ

Mensæ Tobia, sedulus
Præses tui, nati comes.
Bini simul portam occupant
Fœdæ Gomorrhæ, quos suam
Lothus coactos in domum
Cœna benignus excipit.
Villæq; septa rusticæ,
Magni Abrahæ tentorium
Terni frequentant, ad dapes
Quorum minister astitit.
O si liceret cernere
Hoc nos caduco lumine,
Quàm sæpe nostris ædibus
Stent gestientes, cùm preces
Balbis damus cum liberis
Quàm sæpe pernoctent pio,
Qui nos adiuit hospiti,
Cui liberaliter penum
Dapesq; largas promimus.
Adeste quæso prouidi,
Adeste mites, nostraq;
Ne præterite aut temnite
Fratres sacri conclauia:
Patent domus & pectora
Vobis: domus custodibus,
Et pectorum doctoribus.

ANGELVS CVSTOS puericiæ.

PAEAN VIII.

Non sic ouilibus lupus

Cani'ue

Canúe hyæna, non feris
Libyßis urſa cæteris:
Nobis ut hoſtis imminet
Immanis ille, uipera
Tortus iubata Zabolus:
Subuerſor humani boni,
Et mitis innocentiæ,
Nec ille parcit matribus
Fœtis, tenellóue agmini.
Manu Pharonea necat
Stirpem uirentem Eccleſiæ,
Ferroq; mactat lacteum
Herodis infantum gregem.
Non ſic tamen per omnia
Ferox ruit, ſed Angeli
Rictum uoracis comprimunt:
Illi potentes Angeli,
Ante ora cœleſtis Patris
Qui ſtant, miniſtrantq; omnibus
Deo pie fidentibus.
Altißimis audiuimus
Lapſos columnis ædium,
Et uſtulatos ignibus,
Vndisúe merſos, uiuere.
Comperimus infantem quoque
Suis ligatum faſcijs
Tecti in cacumen, beſtia
Fuiſſe portatum à fera,
Miriſq; redditum modis.
Sacræ loquuntur literæ,

Solis

Solis quod Ismael locis
Foret siti iam mortuus
A matre desertus puer:
Huic euilanti seruijt
Cœlum, unde missus Angelus,
Monstrans liquorem, tabidum
Cum matre seruat filium.
Comperta nostro seculo
Res est, Toringi prædicant,
Raptum procella fluminis
Vanno natasse paruulum,
Qua fida mater filium
Vanno lauare sueuerat.
Hoc uidit urbs, quæ nobili
Prouinciæ nomen dedit,
Vna in platea tres, tribus
Vicibus cadentes, Angelo
Custode uitam ducere.
O Christe rex, ô conditor
Et Angelorum, & omnium:
Cùm nos leo, aut acer lupus
Vrget, lacessit, deijcit,
Suppone dextras arduas
Nobis tuorum cœlitum,
Illis tuentibus mala
Vt arceantur omnia.

ANGELVS CVSTOS pudoris.

PAEAN

PAEAN IX.

„ CAstus Deus castos amat,
„ Castis ministris utitur,
Omnisq; fœdæ & horridæ
Impuritatis hostis est.
Castis quoque addidit pios,
Quouis eos discrimine
Custodientis Angelos.
Quisnam trementes filias
Seruat Lothi, quas tradidit
Turbatus insanis pater,
Cum frangeret castas fores
Sedes Gomorrha dæmonis?
Ad Persici quis Iudithan
Thorum sedentem principis
Reducit intactam? manum
Quis firmat, ensem dirigit,
Vt hostis amputet caput?
Quis te Susanna inter senum
Tactus procaces liberat,
Vna ut repelleres duos:
Tibiq; demptas improbos
Pœnas in auctores tulit?
Tu dic Lothe, ais nunquid? tuæ
Testes fuisse lumina.
Effare uerum Iuditha,
Quod scis Susanna suggere?
Sensisse Iuditha Angeli
Opem fatetur, annuit
Lætis Susanna nutibus.

Certe

Certè est opus magni Dei,
Et Angelorum munus est,
Non in Gomorrha polluit:
Interq; uina & lectulum
Abire castam: nec malo
Coram, perire iudice.
Te uirgo mater, maximi
Genus Tonantis, quis tegit?
Montana cùm perambulas
Tua relicta patria.
Tunc cùm teneret limites
Iudææ, & urbes, cum Syro
Dacus, Sabellus, Aethiops:
Te consequebatur frequens
Turba Angelorum, sapiens
Latus, nec est usquam pede
Passa incitato incurrere.
Deo placens & Angelis
Vt sis, puella & fœmina,
Tetræ libidinis faces
Memento casta extinguere:
Quamuis & armata manu
Traharis, attamen prece
Pulsa superna limina.
Euadit in Semiramis
Susanna uincta mœnibus:
Euadit Agnes Romuli
In urbe, martyr inclita.

ANGELVS CORPORIS
custos.

PAEAN X.

CIngit satellες aureis
Scutis renidens, Dauidæ
Latus: ferum circumuolat
Latro Neronem ferreus.
Non arma fortem, non manus
Centum Gigantem protegunt:
Ille, ille qui cœlos super,
Terras, abyssos, æquora
Calcat, tuetur Israel,
Eiusq; parens nutibus
Cœlestium frequentiæ.
Iacobus exul, patriam
Linquens, Esaui insaniæ,
Carpit peregrinas uias,
Custode cinctus Angelo.
Vinctus catenis, militi
Commissus, abditus specu,
Herodis ipse habet Petrus
Certam magis custodiam.
Idem quoq; astat naufrago
Paulo fidelis, quem mari
Nec eurus, aut typhon potest,
Prora aut soluta mergere.
„ Mouere non possunt pilum,
„ Turbare non lacinιam
Vni pio omnes impij,
Tota & potestas dæmonis:
Sunt nostra tuta corpora
Stipante cœlorum choro,

Quem

Quem Christus ipse fungier
Præcepit isto munere.

ANGELVS PRONVBVS.
PAEAN XI.

NOn est cuiquam liberum
Vitam fouere cœlibem.
Nam coniuges nos imperat
Ipse esse conditor Deus:
Manu ipse de limo uirum
Qui ducit, & compaginem
Illi maritat osseam:
Qui per ministros Angelos
Remota iungit pectora.
A fonte distat inuio
Rheni procul, de pluribus
Albis fluentum nobile
Quod congregatur fontibus.
Hinc uagit in cunis puer,
Illinc puella nascitur:
Quæ copulanda lustra sunt
Post quinque sex'ue corpora.
Non casus est, non debitum
Inire moratos thoros:
Nec brutus ignis, à Dei
Qui uentilatur numine.
Amare caste, dulcia
Vni sacrare gaudia,
Deo est placens & Angelis.
Amore cari coniugis

Iustos parentes, & domum
Qui deserenda præcipit,
Firmat, quod ipse condidit:
Qui mandat esse pronubos,
Testesq; amoris & duces,
Ipsos polorum principes:
Non odit humanum genus,
Castasq; tædarum faces
Extinguit, ipse quas fouet
Cum condito orbe conditus.
Quam faustus Isace Angelus
Per atrien sem copulat,
Lætus Rebeccam amplectere,
Tibi Tobia, quam manu
Iungit satelles cœlicus,
Saram pudicam dilige.
Asmode spurce, cum tuo
Spurco atque monstroso grege,
Facesse sancto limine,
Infeste sanctis lectulis,
Lacu Gomorrhæ degere,
Et in gehenna dignior.
" Connubij auctor est Deus,
" Christus sacrator coniugum,
Et suscitator ignium
Sacer piorum spiritus.
Cœlestis, acer, fulgida,
Deiq; formis concio
Nos, nos tuetur coniuges.

AN-

ANGELVS ORTVVM MAgnorum præsagus.

PAEAN XII.

DEcôra, fulgens, ignea
Operumq; spectatrix Dei,
Semper beata natio:
Dum fingeretur artubus
Homo, lutumq; spiritum
Flatu mouente duceret:
Dum costa rapta corpori
Sopore pressi uiueret,
Virgoq; nubilis uiro,
Non eniteret hesperi
Deformiore lumine:
Deo astat, & concentibus
Gratatur atque plausibus,
Illa ipsa sancta natio,
Gaudens bonis mortalium
De conditoris numine
Et arbitratu, fœderi
Fauet maritali, & Deo
Iugat probata pectora.
Fert ipsa tædas, anulos,
Tradit, choreas instruit,
Mensæ ministrat, lectulum
Sternitq;, custosq; assidet.
Arcet uenena dæmonis,
Turpes amores, inuidas
Linguas, malam cupidinem,

Tela inferorum flammea.
Fœcunda mox dum concipit
Aluo genitrix, & grauem
Molem tenella baiulat:
Corpus fouet, gressus regit,
Manuq; protegit ferens,
Cum matre partum ineditum:
Tum sæpe spes Ecclesiæ
Nasci nouas denuncians,
Implet parentes gaudio,
Spargit per orbem iubila.
Testes Iohannes, Isacus,
Simson, parentum qui sacri
Deo fuerunt uiscere,
Quos nascituros Angeli
Dixêre læto carmine,
Quos laude iusta tollere
Præconis esset Angeli.
Nostris adhuc connubijs
Lætantur, adsunt: & licet
Id non uidentes, attamen
Id sentientes adiuuant.
Ne disciplina, aut uirgeum
Sceptrum labascat aut cadat,
Dum mille formis impedit
Satan parentum industriam.
Nostris quoque olim ex ædibus
Nascentur, atra dæmonis
Qui regna diri destruant,
Gratesq; debitas Deo

Cultq

Cultu ferant & carmine.

ANGELVS MEDICVS.

PAEAN XIII.

AEgrotus ad Deum preces
Profunde largas, & memor
Expoſce pacem criminum.
Deinde plantis utere
Deo creatis, inſide
Aut fontibus ſalubribus.
Gemmas, metalla, ſuccinum,
Et terra quidquid aut mare
Profert, tuo morbo aduoca.
Atris cauernis extrahe
Sæpem, cerastam, uiperam,
Quod dente uulnerauerant
Dantes medelam corpori.
Hæc cuncta præcelſi manus
Tuis creauit uſibus,
Doctiſq; monſtrauit uiris.
Ficu Eſaias utitur,
Samaritanus balſamo:
Hic ſaucio uitam hoſpiti,
Regi ille ſeruauit pio.
Sin illa nil opis ferunt,
Ne ſpem puſillam proïjce:
Sed rurſus ad preces pius
Toto feraris pectore.
Dictamnus eſt noſter Deus,
Infixa ducens ſpicula,

Vt capreæ illi concitæ
Primo diei tempore.
Est magna Christi scilicet
Non uisa quamuis, dextera,
Adhuc bonis præsens tamen,
Et sicut olim præpotens.
Est Angelus qui squammea,
De felle piscis illito,
Purgat Tobiæ lumina.
Est Angelus communibus
Morbis leuamen fluminis
Motu lacustris afferens.
Non Raphael incognitus
Nostra domo aut cubiculo,
Qui sæpe seruis, liberis,
Nobis uenit salutifer.
Seu mens tua ægrimonia,
Seu corpus affectum luet
» Pertende, spera, supplica,
» Cœlum patet fidentibus.

ANGELVS PRAESENS mortuis.

PAEAN XIIII.

O Ter beati, qui sumus
Curæ piæ cœlestibus,
Cùm nulla spes est amplius
Vitæ caducæ: deserunt
Cùm nos amici, seraq;
Manus medentis deficit;

Tunc

Tunc roborat mentem ſacra
Aegram unctione Spiritus,
Lectiſq; noſtris aſſident,
Manuſq; ſubdunt angeli.
Mors horridarum maximè
Rerum horrida, eſt ſuauior
Quàm lenis eſt feſſo ſopor,
Si nouerit quis pro ſuo
Chriſtum reatu mortuum,
Eumq; credit iam ſibi
Cœlo receptum uiuere.
Pulſabat imber ſaxeus
Stephanum precantem: qui fide
Ouans, in altis ad Dei
Chriſtum uidebat dexteram.
Iacebat ante diuitis
Domum hulceroſus Lazarus,
Qui poſt necem portatus eſt
Sedem ad ſupernam ab Angelis.
Mors, uita prorepunt gradu
Iuncto ſimul: ſed certius
Nil morte, uita incertius
Diebus, horis omnibus
Simus parati ad exitum,
Nec Angelos procul malis
Fugemus actionibus.
Terrore cumq; Zabulus
Nos conſcientiæ premit,
Et legis accuſat rigor,
Et iudicis ſententia:

Illorum agone in ultimo,
Christi benigni numine
Vultu fruamur, carneis
Et iam soluti nexibus,
Ipsis uiæ ductoribus
Cœli petamus ardua.

ANGELVS PRAECO iudicij.

PAEAN XV.

CVm Christus iret ad Patrem,
Stratis triumphans hostibus,
Iam iure regnorum Dei,
Vt uictor, utq; filius,
Effectus hæres duplici:
Ipsum reditum nunciant,
Qui stant ad eius, in solo
Cœlisq;, nutus Angeli.
Quàm læta uox Apostolis,
Solatio orbatis fuit,
Tanto magistro: tam pijs
Optata semper omnibus,
Sperata cunctis seculis.
Vt multitudinem tubis,
Seu sacra, seu bellum foret,
Iterúe agendum, conuocat
Dux gentis olim maximus:
Sic natio omnis atq; gens
Quæ clauditur terræ sinu,
Vitæúe ducit spiritum,

Tuba

Tuba excitanda est Angeli.
Quàm præco gratus ille erit,
Quam dulcis illa Musica,
Quæ nos iubebit ad thronum
Christi uenire principis.
Quem nos amicum sanguine
Effuso habemus: noster est,
Qui fœdere icto: cui Pater
Regnum daturus, ante quod
Facta administrat secula.
Id ipse regnum non cupit
Solus tenere, sed pijs
Communicat, quos gloria
Mox mox beabit cœlica:
Vt ante mundi exordium
Olim beabit Angelos.
Est gratuitum, quidquid est
Nobis datum: nam possidet
Promissione & gratia,
Non dignitate aut uiribus,
Quicunq; cœlum possidet.

ANGELVS IVDICII executor.

PAEAN XVI.

QVid obstinatum pergere,
Et gloriari te iuuat
In pertinace crimine
Ac cæcitate? ô impie,
Sistendus ante iudicis

Tribunal

Tribunales, quem nil fugit,
Qui cogitatus uerbaq́;
Rimatur, & facta intima.
Cœli liquescent, & loco
Tellus mouebitur, cadet
Vt pannus ore uermium
Laboriosa machina.
Non luna, nec sol amplius
Lucem gemiscentes dabunt,
Quando per Angelos suam
Purgabit aream Deus.
Nam colligent danda inferis
Vanas auenas ignibus.
Tunc ille iudex, cui data est
Supra potestas omnia,
Hircos petulcos fumeam
Ire in gehennam iusserit:
Hæc est parata dæmoni,
Hypocritæq́; & impio,
Non finiendis terminis.
Deinde uultu de suo
Arcebit illos, filius
Iustus Dei, quem spreuerunt,
Et cum Dracone in sulphuris
Immittet ardentis lacum.
Incus, catenæ, flagraq́;
Isthic resultant, lacrymæ,
Stridoréq́; multus dentium.
Vermes, colubri, cyniphes
Artus uorantes, non sinent

Nocte

Nocte aut die quiescere.
Horror, tenebræ, & atritas,
Insomniæ, & confusio,
Extrema erunt mala impijs.
Contra renidebunt pij
Mundo soluti & dæmone,
Carnisq; claustro liberi,
Splendore solis clarius,
Micante & æthra pulchrius.
Vultu Dei cumq; Angelis
Semper fruentur, & suâ
Christi canent præconia,
Læti beato spiritu.
Virtus, bonos, & claritas,
Et altitudo, & gloria
Forti Deo, magno Patri.
Triumphat Agnus, cui sumus
Electa gens & dedita.
Iacet potestas dæmonis,
Perit meretricis gaudium:
Cessant metus, angustiæ,
Ploratus, ægrimonia.
Iam uindicatus est cruor,
Manu profusus impia.
Iam quidquid aduersum bonis
Aut pertimescendum fuit,
Infernus, & mors lurida,
Luctis cremantur ignibus.

GEOR-

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS PAEANum Angelicorum Liber Tertius.

ANGELORVM LEGIOnes cœlestes.

PAEAN I.

Tellus Olympi fulgidi,
Latiq; barenas æquoris,
Siccumq; terræ puluerem
Qui metiatur, nullus est:
Nec Angelorum nomina,
Classes, cateruas, ordines
Quisquam reponet, aut satis
Lingua caduca concinet.
Qui ter sonoris uocibus
Trinam unicamq; gloriam
Dei regentis omnia,
Indefatigati canunt,
Cœli annuente machina,
Nudo polorum uertice.
Qui stant ad eius singuli
Nutum frequenti cœlicum
Regem ambientes agmine.
Non sic apes castæ suum
Cingunt ducem, quem sedulæ

Fouent,

Fouent, & alis efferunt.
Mortale non tamen genus
In luce tanta, & gratia, &
Sublimitate deserunt,
Bonis fauentes Angeli.
Hi cum Iacobo patrias
Petente terras ambulant,
Ipsum, greges, & liberos,
Et coniuges defensitant.
Circum Prophetæ se domum
Obsessi ab hoste flammeis
Fundunt quadrigis, seq; dant
Palàm uidendos per precem.
Aulam subintrant Persicam,
Loquuntur & capto uiro,
Quem de futuris edocent,
Rictu & leonum liberant.
Christo canunt genethlia,
Toto sonantes æthere,
Felicitatem, gaudium
Gregum magistris perferunt.
Bis sex cateruas posse se
Armare Christus prædicat
Volente patre, cùm Petrum,
Ab hostibus circumdatus,
Ensem iubet recondere.
Non una cùm sit myrias
Cœlestis, in nostram uigil
Defensionem, quæ tegat,
Soletur, instruat, iuuet;

Vt mil-

Vt mille laudem uocibus
Te Christe, mille canticis:
Laudaro non digne tamen
Satis Deum, ter optimum,
Ter maximum. nam maior es
Cum Patre, cum spirabili
Aura, omnium mortalium
Et Angelorum laudibus.

Vriel,

ANGELVS REPREHENsor curiosorum.

PAEAN II.

CVrsu feruntur sidera,
Libratur æther, pondere
Stat fixa tellus, fluctuant
Euris & undis æquora.
Aues leuantur aere,
Terræq; sunt nobis datæ,
Ingens salum natantibus.
Cœlum intueri lucidum
Fas est, & illa noscere,
Quæ scire fecit Conditor.
Distinguere annos, certaq;
Seruare frugum tempora,
Secare ligna, & arbores
Plantare, agrestis nouerit:
Sidus malignum nauita,
Venus soli metallicus.

Terrena

Terrena nempe terreis
Curantur, & cœlestibus
Sunt proniora intelligi.
Sed qui suas stultè putant
Lucem tenebras, & nimis
Tolluntur altè, cæreis
Alis secantes ætherem:
Et qui superna, incognita,
Cælata, tentant ingeni
Nouisse acutis uiribus:
In solis igneum iubar
Coniecta perdunt lumina.
Mox propter audacem impetum
Ab Vriele flammea
Fixi sarissa concidunt.
Nil attinet, quid inferis,
Atro reuinctis carcere,
Christus cecinerit, quærere.
Nec Trinitatis abdita
Rimari, & alta fluctuum
Paruo pugillo prændere:
Tu scire nos Altissime
Doce, per Angelos tuos
Lucis scientes, de sacro
Doctosq; uera numine,
Lethalis & prauii unde sit
Peccati origo, & tanta uis,
Vt Christus à sinu Patris
Ad liberandos noxios
Terras ad usque uenerit.

Quodq́; unus atque idem Deus
Ter sis potens, & ter bonus,
Nobisq́; amicus, in tua
Firmis manentibus fide.
Hæc cura nos nocte ac die
Fatiget, hæc sit sensibus
Fixa & medullis intimis:
Vt esse nos cùm perditos
Primo à parente discimus,
Bonorum egenos, luminis
Veriq́; inanes, ad tuum
Nos conferamus filium:
Qui pastor infirmas oues
Curans, tenello uellere
Vestit, piatq́; sanguine,
Et septa ducit in sua,
Dulciq́; potat nectare.
Sis Christe menti lux meæ,
Sacræ per auræ flamina,
Ne curiosa cogitem,
Abominanda disputem:
Pro rebus umbras ne sequar,
Pro ueritate fabulas:
Monstrata carpam pabula,
Nec uiperæ tangam illitum
Gramenq́; & herbas [illegible]itu.

Ieremiel,

ANGELVS REPREHENsor sciolorum.

PAR-

PAEAN III.

Haec ducit omnes impios
Inutilis scientia,
Vt nosse uentura expetant
Parrhae canentis omina
Captant, & alas praepetes,
Vulpem aut canem negotijs
Obstare susceptis sinunt:
Sidusq; Saturni graue
Minantur omni uertici,
Furesq; nasci aspectibus
Fatalibus denunciant.
Lugendi eo ipso nomine,
Quòd se esse uanos, improbos,
Caecos, sepultos nesciunt.
At ipsa carnis haec tamen
Nostrae uoluptas, scire uult
Quae plura, quàm Deus iubet
Nouisse uult malum, prius
Expers mali Eua, daemone
In rete inextricabile
Mentem trahente simplicem.
Quàm multa gestit turba iam
Suprema scire tempora,
Horamq; momentis, leui
Cura anxiaq;, computat.
Hanc docto in Esdra reijcit
Ieremiel cupidinem,
Hanc ipse Christus in suis
Apostolis redarguit,

Summæ diei nescios
Ipsos quoque aiens Angelos.
At nos iubemur à Deo,
Signis polo micantibus,
Tremente mundi machina,
Armisq; sæuientibus
Terraq; pontoq; asperis
Iubemur inquam sobrij
Orare, Christo credere,
Lætum & leuare uerticem,
Et spe, propinqua cœlitum
Præoccupare gaudia.
Sis Christe sidus mentium
Tuo inclito spiramine,
Ne uana quærentes, tua
Iure excidamus gratia.
Portenta, pœnitentiæ
Sint conciones impijs:
Iisq; qui desiderant
Tecum esse, uitæ nuncia.

ANGELVS ANGELO adiutor.

PAEAN IIII.

NMIrum est opus, natura quòd
Nostra ante ponit lumina,
Non capta, captæ bestiæ
Accurrit, atq; fert opem
Periclitanti mutuam.
Sic miles in certamine

Duæ

Iuuat ſodalem militem,
Sic nauta nautam, ciuit.s
Sic ciuitatem ſubleuat.
Hoc bruta faciunt, hoc homo,
Nec mens iuuandi ſegnis eſt,
Inter ſacratos Angelos.
Et quidquid hac eſt præditum
Mente, ut iuuare dulce ſit,
Accepit id diuinitùs.
Occurrit Angelo Angelus,
Cùm filius Barachiæ
Foret docendus, quid nouæ
Eſſet futurum Eccleſiæ.
Adeſt potenter Angelo
Minus potenti Michael
In Perſia, dum per dies
Feruet duellum plurimos.
Armare dæmon efferus
Atrociores ſpiritus
Cùm ſede pulſus eſt, poteſt,
Ad occupandam priſtinam
Arcem? nec Angelis bonis
Indulta ſit uis amplior,
Quod à Deo expetiuerint
Armare fratrum millia?
Mens quid moraris ſpiritus
Sequi benignos? omnibus
Prodeſſe, opemq; iungere
Pijs piam pulcherrimum eſt.
Se Chriſtus impendit tibi,

Tibi ministrant cœlites:
Tellus, agri, aura, flumina
Sunt seruituti obnoxia,
Et totus usus in tuos
Mundi politus ambitus.
Vicem refer Deo, preces
Gratas, & oris munera,
Dulcemq; barbiti sonum,
Et quantus es, quantum potes
Serui iuicißim proximo.

ANGELVS INCREPA-tor Satanæ.

PAEAN V.

NOn maior imprecatio
Excogitatur, quàm Dei
Iram precari uindicem.
Expers quidem iræ cœlica
Est Angelorum natio,
Quæ flagrat æterni Dei
Amore non ceſſabili:
Sed illa tunc eſt maximè
Feruens, amoreq; ignea,
Cùm nomen, & laus, & decus
Regis Dei laceßitur.
Non hoſtis autem deſinit
Calumniator, indies
Contra Deum, contra Angelos
Infanda, acerba proloqui,
Beſeq; miſcens cœtui

Cœleſ-

Cœlestium, incusat pios
Iniurioso crimine,
Et improbis mendacijs.
Offert, Iobi ut omnia
Bona immerentis auferat,
Vires suas: nec liberis
Parcit, nec eius corpori.
Tumbamq; defuncti, Deo
Cælante, Mosis expetit
Proferri in auras, ut struat
Cunctis Ebræis scandalum.
Refrenat huic os impium
Deus, premunt manu Angeli.
Non Angeli quidquam tamen
Sumunt sibi, notißimo
Nec efferuntur robore:
Sed cum sit ira tristius
Dei nihil, nec fortius
Verbo, his retundunt uocibus
Vires superbas dæmonis:
Facesse teter, & male
Facesse, te increpet Deus:
Quo fulmine ictus, sumere
Arma amplius sit impotens.
Ieiuna scorpion uelut
Saliua, & umbra squameum
Necat colubrum fraxini:
Sic ueritas oris Dei,
Et dexteræ defensio,
Sternit frementem dæmonem.

Nullus tenebris est locus,
Aurora postquàm fulserit,
Nec claritatem fert niger
Verbi superni spiritus.
Virtus Dei, splendor Patris
O Christe, uastantem tuæ
Ecclesias, hac ultima
Orbis ruentis uespera,
Feri oris ense, & increpa
Desæuientem dæmonem,
Qui contumax sese arduæ
Exclusit aulæ sedibus.
Iam uictus à te sæpius,
Vincendus à membris tuis,
Caret nocendi uiribus,
Modò resistat quis fide,
Fugetq; uerbi lumine.

ANGELVS CAPTIVAE. Ecclesiæ seruator.

PAEAN VI.

VOs Nile, & Euphrates diu
Gentis audistis graues
Gentis querelas, nec tamen
Laxastis illi uincula:
Iudæa plebs miserrimis
Afflicta uixit ut modis,
Dum pittasphalton baiulat,
Ferruminatq; besalum,
Agrumq; per Pelusium

Biccata

Siccata portat gramina,
Et fabulosa conuehit.
Dum dorsa scinduntur flagris,
Nudantur ossa uerbere.
In urbe dum Semiramis
Tulit cachinnos, scommata,
Vt audijt uoces leues:
Cantate sueta, quæsumus,
Vestris choreis cantica,
Quid crebra uox obmutuit?
Quid garrulæ pendent lyræ?
Aut nunquid estis redditi
Hoc surdiores flumine?
Sic capta, prauis seruiens,
Vexata gens est hostibus,
Aere & catastis corpore,
Ludibrioq; mentibus.
At ipse magnus cœlitum
Rector, parens Ecclesiæ,
Ad lacrymas & uerbera
Non surdus aut cæcus suæ
Gentis querentis extitit:
Cretensis olim ut Iuppiter
Carere dictus auribus,
Et ut suum Ditem ferunt
Vates carere lumine.
Ipse Angelos citissimos
Misit, per undas semitam
Qui sternerent euntibus,
Et hostium sectantium

Rotas trahentes curribus,
Turmas profundo mergerent:
Traducerent qui feruidum
Cor regis ad clementiam,
Vt sponte captis redderet
Vrbes ademptas, & uetus
Templi decus, nec parceret
Donis, & auro regio.
Iò beata gens Dei,
Dilecta cœlo, sect te
Non quatuor, bis lustra sex
Fregêre, quin Dei manum
Fortem ferendo crederes,
Fornace qui te ferrea
Aegyptiorum liberat.
Iò auspicata uincula,
Quæ nomen excelsi Dei
Reges tulêre ad exteros,
Strinxêre Persas, & sacræ
Fecêre membra Ecclesiæ:
Bis lustra septem cognita,
Constantia & miraculis.
» Quis separabit à Deo
» Nos tam fideli, tam bono?
Non uincla, non uexatio,
Non plaga, nuditas, fames,
Non tempus aut mors horrida.
Aspectat ille nos polo,
Cœlorum amant nos incolæ:
Iuuare promptus est Deus,

Opem

Opem nec Angeli negant.

ANGELVS EXVLIS EC-clesiæ restitutor.

PAEAN VII.

VIator haud una domo,
Nauta aut moratur littore;
Ille indies sed hospitem,
Portum iste mutat: compares
His Patriarchæ antiquitus,
Aeuo sequente Apostoli:
Quis nulla gens, non angulus,
Et certa nulla patria.
Num principes Ecclesiæ
Vixisse iuuit exules,
Vagosq; iactari, ut solent
Ignaua mendicabula?
Non, non uoluptatem tulit,
Iumenta, seruos, liberos
Modò huc, modò illuc ducere;
Non uerberari, aut carceri
Vinctos dari, uel urbibus
Cæsos flagellis eiici.
Deo iubente hostilibus
Errant locis, sese aduenas
Vt esse mundo comprobent.
Qui condidit terræ solum,
Hoc ipse Christus exulat:
Domus, bouile cui fuit:
Præsepe, lectus; culcitra,

Fœnum, arxq; diuersorium.
Nec eius in terris habent
Quidquam ministri proprium,
Nisi hospitum fidem, & solum
Membris premunt quod mortui.
" Inops & exul scilicet
" Ductu magistri Ecclesia est:
Sed illa nuda, erratica,
Alto gubernatur Deo,
Sacrisq; curæ est Angelis.
Iacobus arma auunculi,
Et arma fratris excutit,
Deo & uolente fertilem
Terram Canopi possidet:
Reductus idem in patriam,
Stetêre qua tumbæ patrum,
Fugat Chanani posteros,
Et regna bis sex in suos
Fortes nepotes diuidit.
Hanc Patriarchis reddidit
Erronibus Deus uicem.
Nil tale Christi Apostolis
(Vt glorietur Romuli
Vrbs uana) concessum, ut mari
Lateq; terris imperent:
Sed imperant solummodo
Potente uerbi munere,
Nouaeq; signis gratiæ,
Et à cubili Iberico,
Ad solis ortus Indicos.

Regnum

Regnum tenent liberrimum.
Verè Dei mirabile
Nomen, ſtupenda ueritas,
Qui per uagos & exules
In orbe Eccleſiam regit,
Regnatq; in hoſtibus ſuis,
Hortos ut intra lilium,
Spinas & inter ut roſa:
Nec ulla gens habet Deum
Præſentiorem, eſtq; Angelis
Dilectior: qui nuſquam ei
Abſunt uaganti & exuli,
Nunquam ſmunt omnem, licet
Turbæ premantur, opprimi.

ANGELVS HOSTIVM conciliator.

PAEAN VIII.

MOucre rupes, æſculos
Euertere, æquor ſiſtere,
Laborioſum ſæpius
Minus: rigentis flectere
Quàm pectus aut ſenſum uiri.
Teſte hoc Labane dixerim,
Hoc teſte Eſauo, qui manu
Virum innocentem perfida
Erant minati tollere:
Sed Angelis uertentibus
Mentes adamantinas, ei
Tangunt genu, dant munera,

In quem fera arma sumseranti
Sic sæpe duros principes
Grauem furorem audiuimus
Misisse, quando innoxia
Meruit fauorem ueritas.
» Non hostis ullus tam potens,
» Tamq; incitus, quem non, tua
Cui iusta commendaueris,
Deus potens sit flectere.
Sæuire nunquam cogites
Vindicta in ullum, loraq;
Iræ remittas tradere:
Committe te supplex Deo,
Opemq; spera & flagita,
Patiensq; perstа: etsi nihil
Et astra præter & mare,
Nudos & enses uideris,
Intentaq; in te spicula:
Aut ille mox per Angelum
Te uindicabit, perditis
Illis iniquis hostibus:
Aut efferatis è lupis
Oues iubebit fieri,
Et antea in te stantibus
Telis, tuam fidus domum,
Vitam, salutem proteget.
Et Angelus si sufficit
Non unus, aut alter tibi,
Totas cohortes miserit.

AN

ANGELVS SVSCITATOR.
PAEAN IX.

QVantus ueternus occupat
In rebus ad nomen Dei
Et gloriam ſpectantibus,
Iners genus mortalium?
Nemo laborat, in ſuo
Nemo eſt alacris munere,
Quem non perurgent Angeli.
Sic ſegne pectus, ſic manus
Stupent, & aduerſum Deo
Delectat omnes ocium,
Moratur omnes tarditas.
Lina ut trahentis dexteram
Torpedo, parum incitum
Piſcis ſq; cercurum tenet.
Quod quiſque nouit, à Deo eſt:
Quod quiſq; perficit, Dei
Virtute fit, qui ſuggerit
Vires, & Angelis ſuis
Incurioſos admonet,
Et dormientes ſuſcitat.
Sic ſuſcitantur ad nouas
Res audiendas, filius
Barachiæ, optatiſſima
Zerubabeli nuncians:
Non robore aut exercitu
Captos leuari uinculis,
Sed ſpiritus id efficit

Magna

Magna Dei potentia.
Sic exul ille Pathmius
Raptus monetur, inclitam
Agni uidere coniugem,
Sponſam nitentem, & aurei
Fulgentem amictu luminis,
In urbe lata, gemmea,
Bis ſexq; portis fulgida,
Olim piorum patria.
Tu Chriſte nos, in uineam
Tuo uocatos numine,
Tardos, remiſſos, deſides,
Et ferre ſolem reprobos:
Serua uocatos, perfugas
Voca, pigrosq; ſuſcita,
Tuæq; drachmam gratiæ
Clementiæq; ne nega.
Videre ſponſam regiam
Permitte, tum quæ ſunt eam
Circumq; poſtq; uirgines:
Vaſis ferentes lucidis
Liquorem oliui, ueſtibus
Et eminentes aureis,
Quas Chriſte nos læto pede
Cincti coronis palmeis
Pæana cantantes, tuo
Mundi ſequamur ſanguine.

ANGELVS DEPRECATOR.

PAEAN X.

QVid ora gypſo, guttura

Ieri

Aeri, lutoue lumina
Prosunt, quid aures arbori?
Non sunt dij, non cœlites,
Quæ sculptor aptat, artifex
Quæ pingit, aut cudit faber.
Aures habent, nec audiunt:
Manus habent, nec palpitant,
Pedes habent, nec ambulant:
Roduntur à teredine,
Fumo nigrescunt, muribus
Cauantur, aut telis latent
Araneorum sordidi.
Templis pereunt ardentibus,
Tholo ue fracto concidunt,
Lapsi iacent immobiles.
Tum bubo in ipsorum sedens
Feralè cantat uertice,
Nidumq; uespertilio
In concauo sinu locat:
Aut balneator ignibus
Aquam lauacro temperans,
Flammis coercet stipitem.
Phy phy deorum, monstra sunt,
Portenta sunt uanissima.
Sed est Deus, sunt cœlites,
Noster Deus, nostri Angeli:
Deus creator omnium:
Quæcunq; uult, nutu exequi est
Potens, humo, astris, æquore.
Sunt Angeli, uerbo Dei

In luce luces conditæ,
Florente qui patrem canunt
Noctes dies q; carmines
Qui diligunt nostrum genus,
Quod nempe diligit Deum.
Illi precem nostram audiunt,
Deo ferunt q;, & referunt
Responsa, & adiuuant suo
Fauore, supplicant simul,
Fletum q; acerbos colligunt:
Nec inscio hæc narrant Deo,
Surdo q;: namq; is omnia
Nouit, uidet q;, & antea
Quam facta quæ q; sint, tenet:
Sed iussi agunt, & consulunt
Quo tempore aut loco iuuent,
Nos & quot armis muniant,
Quibus ue telis militent.
Non te Tobia, aut Corneli
Appello testes: ipse ego
Sensi, meas esse ad Deum
Preces relatas sæpius,
Per deprecatorem Angelum.
Hoc donec his in uinculis
Hæro, loquar i mox & chely
Facundiore concinam,
Quando hora læta uenerit,
Qua des ut intrem patrias.

ANGELVS CONTVBER-
nalis.

PAL-

PAEAN XI.

PRocul prophanos, ô puer,
Procul prophanos impera
Abire: tum mihi lyram
Templis amicam porrige.
Insigne promendum mihi,
Recensq; & indictum melos,
Nulli & prophano creditum.
Gens illa cœli lactea,
Concors, & immutabile
Vnita per consortium,
Felicitate perpeti
Gaudens, & excellentior
Nobis, fruiturs sed pari
Tandem quoq; altitudine
Haud illa nostris ædibus,
Conclauibusq; & lacubus,
Mensisq; solum cernitur:
Sed intimis se mentibus
Modis stupendis inserit,
Et ore nostro grandia
Profatur, & nostro sapit
Sensu, altiora sensibus.
Quid mirum? idem cum maximus
Patris supremi spiritus
Ignis apertis fecerit?
Per imperitos ut uiros,
Cassis fluctos ducere,
Est facta Christi ingentia
Linguis locutus igneis.

Quod ſunt Prophetæ, quod patres
Pij, quod acres martyres
Quondam locuti, aut tempore
Noſtro loquuntur, Angelis
Id ſuggerentibus, ſacro
Aut ſunt profati numine:
Id filius Barachiæ,
Tecti & magiſter codicis,
Scripſere digno carmine.
Quin Chriſtus ipſe Apoſtolis:
Cùm uos (ait) produxerint
Aut principi, aut conuentui
Ne cura triſtis maceret
Inane pectus ſanguinis,
Contra potentum fulmina,
Aut eruditas quid minas,
Dicatis, aut loquamini,
Namq; illa in hora Spiritus
Dei præibit, & ſuo
Per uos loquetur numine:
Et cœlitùs mirabili
Sic inſtruet peritia,
Vt omnium uos non queant
Mortalium ora uincere,
Crudelium arma perdere.
Ergo hoſpites ultrò Angelos
Admitte, & hoſpitem aduocà
Voto, ſupernum Spiritum.
O ſuaue contubernium,
Et obſtupeſcendæ nouum

Cono

Coniunctionis uinculum,
Cuicunq; sese iunxerint
Fauore, luce, gratia.
O nos beatos ter, quater,
Gentemq; dilectam Deo,
Per quam loquuntur Angeli,
Purusq; Christi spiritus.
Facessat hæsitatio,
Tollatur error etbnicus,
Cedatq; diffidentia?
Mendacij nunquam potest
Os ueritatis argui.

ANGELVS FAVTOR studiosorum.

PAEAN XII.

AMant labores Angeli
Laboriosi & desides
Nullo loco uel tempore,
Quin dona cœlitùs sua
Vendit Deus laboribus.
Non ullus autem maior est,
Aut utilis magis labor,
Quàm qui locatur optimis
Et litteris & moribus.
Quid nunc ego iam pauperum
Loquar parentum sanguinem
Danielem, & Helcana satum,
Obscura nulli nomina?
Hic à Deo, ille ab Angelo

Vocatus, edocet duces,
Regesq; splendidissimos.
Mentes supernæ & flammeæ,
Rei inscientes nullius,
Gaudent docere simplices,
Rudes monere, & incitis
Alas & ignes adderet
Vsq; uiribus Dei,
Mentes mouentis, Spiritus,
Virtutem & eloquentiam
Dedêre sæpe paruulis.
Me natus Helciæ, & nepos
Iddonis, esse comprobant
Verum: nec obstat rustico
Aut imperito tarditas,
Si quem sibi eligit Deus,
Suisq; honorat Angelis.
Boues Elisa persequens,
Amos aratrum, patrius
Dauid bidentes, uatibus
Pares putantur maximis,
Si non fuêre maximi.
Exempla te tangant puer,
Laboriosus & uigil
Vt sis, Deoq; deditus.
Ora, labora, discq;,
Et muneri tuo uaca.
Nil est graue, arduumq; nil,
Deo iuuante & Angelis.
Vt simus autem seduli,

Veri & tenaces, & pij,
Te supplices exposcimus
Lucem, sapientiam, Deus
A quo, nec illo ab altero,
Intelligentia, & salus,
Et uita, luxq; prouenit.

ANGELVS PIORVM uector.

PAEAN XIII.

INane cœlum noluit
Terrasq; desertas Deus
Stare aut moueri conditor.
Cœlum Angelorum cœtibus
Distinxit, instar luminum:
Terras colendas ordini
Summissiori tradidit:
Sed ipse cœlos & super
Terrasq;, rector permanet,
Mandauit & cœlestibus
Custodiendos Angelis
Subiectiores, quos fouet
Immensus orbis circulus.
Non aspidi uenena sunt,
Non regulo, non uipere,
Non uis leoni feruido,
Seruantibus nos Angelis.
Fert Habacucum crinibus,
Equis Eliam igneis,
Clarum per aera Angelus.

Ex urbe Salmanassaris,
Ad usque Medos, Angelus
Pedes, Tobiæ iunctus est.
Trans flumen Ammus, trans lacum
Aspar Rauennæ raptus est,
Virtute fortis Angeli.
Gratis sonemus mentibus
Iò, uidenda est cœlica,
Et sentienda concio,
Velox, perennis, alipes,
Pijs propinqua, & impetu
Cuncta amouens obstacula.
Seu sol caput cœlo exerit,
Vultu'ue prono mergitur:
Vel rure degas, uel domi
Stans, ambulans, sedens, Deum
Votis fatiges sobrijs.
Secans uias, aut flumina,
Aut usitato in ocio
Honesta carpens gaudia,
Nunquam Deum fac pectore
Obliuioso negligas.
Vel membra ponas uesperi,
Vel mane surgas lectulo,
Ardente te Deo prece
Tuosq; commendes: tuo
Lætus, fidelis, impiger,
Instes deinceps muneri.
Seruaris à Deo, & sacra
Gestaris Angeli manu.

ANGELVS VICTORIA-
rum nuncius.

PAEAN XIIII.

AVri petentes Colchide
Pellem Pelasgos, Bebrycum
Crudus tyrannus impetit:
Noctu quibus uictoriam
Denunciauit anxijs,
Tollens ab Euxino caput
Ponto, uir alis splendidus.
Regem tulisse uincula
Persem, & fugatos Tusculi
Ciues, Dioscuri ferunt
Optata Romam nuncia,
Agro Reatino, & lacu
Visi Regillo tendere,
Hastis equisq; candidis.
Regnis & imperijs Deus
Adest, & unus diuidit
Fasces, tiaram, purpuram,
Vnusq; mirandis modis
Quosq; ipse sella collocat,
Sua regit custodia,
Depræliatur prælia.
Sed quid petita longius
Extraq; septa Ecclesiæ
Quæ facta sunt, attentius
Reuoluo? nota sunt satis
Quæ Gideoni, Dauidi,
Ezechiæq; præcinit

Scienſ futurorum Angelus.
Nam plura uelle promere, eſt
Metiri harenas littorum,
Fluctuſq; commoti maris.
Contra gerens Maxentium
Bella Imperator, inditum
Cui nomen à conſtantia,
Ab Angelis inſignia,
Victoriæ certa accipit.
Vexantibus Perſis, Dei
Gentem, impijs iniurijs,
Bithyna circum littora
Verſantibus tunc, obuij
Canunt triumphos Angeli.
Hæc angelorum gloria,
Dulciſq; delectatio,
Nempe ut laborantes iuuent,
Et ut modeſtos prouehant,
Pellant ut ægrimoniam,
Et gaudio uero expleant.
Vt ſtuppa ſaxo quæ lita eſt
Caryſtio, haud abſumitur,
Rogo ſed accenſo nouis
Reſiſtit audax uiribus:
Ab omnibus ſic aſperis
Inuictus eſt, cuius latus
Corpuſq; ueſtiunt ſacri
Conſæpientes Angeli.

ANGELVS OBIVRGA-
tor timidorum.

PAEAN

PAEAN XV.

Victoria omnis à Deo est,
Quæ sæpe contingit malis,
Vt puniantur in sua
Incurabiles superbia:
Quæ sæpe demitur bonis,
Discant ut à Deo pia
Pendêre confidentia.
Hic fortis est in tristibus,
Clemens leuare in perditis,
Regnare & in uictis potens.
Quod si cui bono tamen
Datur superne uincere:
Is iussa diuina audiat,
Nulla in proteruos impios
Vtatur indulgentia.
Nec cum scelestis hostibus
Amore sese ac fœdere
Iungat: mala hæc coniunctio
Reges & urbes perdidit.
Saul ut Amalecho perfido,
Inhospitali & inuido
Pepercit, ipse gratia
Deiq., regnoq; excidit.
Obedientia est Deo
Acceptior, quàm uictimæ.
Dum Iosaphatus impias
Affinitates, fœdera
Iniqua quærit: altero
Cum rege classem perdidit.

Pugna

Pugna cadente & altero,
Fugam capeßit ſaucius.
" Idololatra & augure
" Non ſanior, quiſquis Dei
Sanctis repugnat legibus.
Odiſſe prauum, hypocritam
Abominari, & impium
Necare, cultus eſt Dei,
Viriq; munus principis.
In Bocchimis, fulgentibus
Aſtante in armis agmine,
Omniq; multitudine,
Hæc elocutus Angelus:
Vobis ego dempſi fera
Aegyptiorum uincula,
In fluctibusq; Erythreum
Straui per æquor ſemitam.
Fundamina urbium erui,
Reges ſubegi barbaros,
Iuratáq; arua patribus
Veſtris, tributim tradidi.
At uos ſodales hoſtium
Facti meorum, quos ego
Iußi necare & perdere,
Seruaſtis, aras debitis
Nec tradidiſtis ignibus:
Vos ergo gens tam contumax,
His concidetis à dijs,
His ſeruietis hoſtibus:
Quos præ rebelli ignauia

Non

Non eſtis auſi ſternere,
Radicitus q; euertere.
Hæc Angelus: turbæ gemunt,
Pacem q; poſcunt lacrymis:
Solum madeſcit, pinguibus
Halant & aræ uictimis.
Delicta confitentium
Cœlum reſultat uocibus.

ANGELVS PROHIBITOR facinorum.

PAEAN XVI.

DVm Beoris ſe filius,
De ſtirpe priſca Nachoris,
Regem ad Moabum contulit:
Illi repugnat Angelus,
Iterq; claudit, triſtia
Loqui uetans conuicia.
Dum rex Ochozias, malè
Affectus è lapſu graui,
Beelzebula conſulit:
Occurrit eius Angelus
Viris, & increpat leues
Duris Eliæ uocibus.
Arcent ſacrati ſcilicet.
Blaſphemiam & malum Angeli:
Hortando conſeruant pios,
Culpando prauos retrabunt.
Quid non uenena dæmonis,
Lapſusq; poſſunt lubrici?

Cùm tortuosis implicat
Humana corda nexibus,
Cùm per mæandros in sinum
Sese latenter inserit?
Forma puellæ Dauidem,
Nitore Iudam argenteo
Illectat, & mendacijs
Non pauciores decipit,
Se doctus omnibus modis
Vultus in omnes uertere.
Non sunt polo tot sidera,
Non Indiæ tot pulueres,
Quot ille fraudes, quot dolos
Versat maligno crimine.
Illi sed illustres throni,
Qui luce, fortitudine,
Et ueritate dimicant,
Nec deuiantes à bono,
Nostriq; amici nominis,
Virtute muniti Dei,
A` proditore dæmone,
Eiusq; nos uersutijs
Tuentur, & micantibus
Gaudent adesse copijs.
Absq; hac foret custodia
Curaq;, nemo uiribus
Aut arte uel prudentia
Resisteret: uel unius
Hostis furores, & minas,
Et tela acuta frangeret.

ANGE.

ANGELVS INSPECTOR ærumnarum.

PAEAN XVII.

NIl cogites prauum, Deus
Scrutatur ima pectoris:
Nihil loquaris improbum,
Quod exit ore, audit Deus:
Nihil pudendum aut dirum agas,
In actiones Angeli
Iussi solent inquirere.
Quos propter, in templis caput
Habere uelatum iubet
Sexum pudicum Apostolus.
Adsunt ubique, & omnia
Vident: & in primis pios
Grandi iuuant certamine.
Nanti uelut supponimus
Scirpum ratem ue, & ut manu
Miserti amicum tollimus
Cœno labantem: sic pijs
Sunt scirpus & dextra Angeli.
In uinculis ferrum leuant,
In ignibus flammam premunt:
Purgant iacentes sordibus,
Passisq; tergent sanguinem.
Non contus, aut fidiculæ,
Sartago, fustuarium,
Lædit fidelem: non rota
Metalla, scrobs, calcariæ,

Quin

Quin Angeli præsto, tuo
Gemant dolore & uulnere.
Hi te sequuntur exulem,
Iuuant egenum, confouent
Algentem, & in pyras simul
Eunt citatis gressibus.
Testes tyranni, turbaq;
Apparitorum & militum,
Lanista, tortor, carnifex
Qui sæpe crudelissimo
Videre tristes lumine,
Non urere ignes, ungulam
Secare, rhamnum cædere.
Locutus est, cui dempta erat
Lingua: ambulauit artubus,
Mancus, lacerq;: redditus
Vitæ, peremptus: corpore
Sectus, rediit integer.
Dies abiret, antequam
Pœnas, earumq; eloquar
Experta sanctis nomina.
O fida cœlorum manus,
Amore fratrum cognita,
Præsens bonis, & à sacro
Nunquam recedens agmine?
Adhuc uides hoc tempore
Quid fiat? ærumnas habes
Fide notatas turturis:
Sunt scripta libris cœlicis
Ecclesiæ discrimina.

Ex-

Exsurge Christe, & Angelos
Iube tuos, ut uulturum
Irus repellant: asserе
Pressam & gementem Ecclesiam,
Multo redemptam sanguine.
Pupilla tangitur tui
Tangenda nulli, luminis.
Audi preces clamantium:
O sancte, uerax, maxime,
Nunquid tuorum uindicas
Fusum cruorem pauperum?

ANGELVS MARTYRVM numerans uulnera.

PABAN XVIII.

PVgnare ad usque sanguinem
Corpusq; sanum dedere,
Aut lancinandum militi,
Aut distrahendum bestiis:
Non tale certamen, sua
Quod sponte quisquam suscipit,
Vis maior; & maior Deus
Agit perire strenuos,
Acresq; uitam ponere.
Non uisa regna lumine,
Fuso cruore quærere,
Et spe tenere: est unius
Donum supremi spiritus.
Hic milites armat, Dei
Nomen profess os credere;

Et dira constanter pati.
Blandilla me cum Pontico
Testata fari comprobant,
Factiq; clari qui lyra,
Romanus & Laurentium,
Prudentiana Martyres,
Multiq;, quorum nomina
Descripta sunt uitæ libro,
Signis nitentia aureis.
Non guttula ulla sanguinis
Illis perit, non lacryma,
Quas natus excipit DEI,
Vitroq; condit limpido.
Ipsi quoq; Angeli notant
Plagas, recensent uulnera
Seu quæ genis, seu lumine
Tulere, costa aut uiscere,
Quæ fecit uncus, quæ fera,
Quæ mucro, cratis, grabbatus,
Transuersa, recta, sub cute,
Profunda, seu tractim data,
Punctim ue facta corpori.
Non os fauilla, non pilus,
Non deerit puluisculus,
Membris piorum ex omnibus.
Seruantur interim DEO,
Stolis amicti candidis:
Rursus cicatrix integra est,
Absterso uultu lacryma,
Donec tuba sonantibus

Carnem

Carnem resument Angelis,
Testemq; habebunt omnium
Christum Deum certaminum.

ANGELVS NOMENCLATOR.

PAEAN XIX.

Nouit piorum nomina
Deus manu, quæ patria
Conscripta memorat: unde ea
Vis nulla, nullus obstrabet
Error, nec hostis diritas.
Dulcem sui uocem audiunt
Oues magistri; & ipsius
Nunquam auferuntur à grege,
Illi pater quem tradidit.
Est maior omnibus pater,
Cum patreq; unum filium.
Illos quis à dextra Patris
Magni, & potentis Filij
Rapturus est; quorum aureis
Frontes Eoo ab Angelo
Fulgent notatæ literis?
Nempe Angeli ut boni suæ
Felicitatis de statu
Nunquam mouentur, uinculo
Amoris & lucis Dei:
Sic nemo nomen eripit
Vitamq; sanctis, Angeli
Firmis sigillo, & spiritus
Tutis sacrati numine.

Illi togis spectabiles,
Limbisq; in albis, & manu
Palmas ferentes, concinunt
Pæana mille uocibus,
Et mille linguis personent
Sonora cœlis cantica.
Laus, claritas, uirtus, honor,
Decus, triumphus, gratia,
Summo Deo atq; altissimo:
Agnoq;, cuius tegmine
Candente amictis, Sinai
Cedunt niues, & Hermonis,
Fulgorq; luxq; Thaboris.
Cuius cruore spendidis
Nulla amplius fames uenit
Sitisq;, læta nec dolor
Luctus' ue tangit pectora.
Nunc regnat omne gaudium,
Quod nulla mens præceperat,
Auris nec ulla audiuerat.
Debemus hoc donum DEO,
Debemus Agno candido.
At nos adhuc in debili
Fluxoq; agentes corpore
Seruamur, & sacra Angeli
Manu annotati, uincimus
Christi fauore ac gratia
Mundum, tyrannos, tartarum,
Nec ullus excidet, suo
Non explicandus nomine,

Noscendus

Noscemus aut signaculo
Deo perenni, fœtidis
Oues ab hircis cùm suas
Diuellet, Agno iudice,
Vt separabit ignibus
Orci, pios ab impijs,
Mergetq; damnatum lacu
Dirum draconem sulphuris.
O Christe clemens respice,
Cunis ab ipsis paruulum,
Lotum beato flumine,
Alumnŏ carne, & prodigo
A te profuso sanguine.
Appaream Angeli tibi
Vultu, pia constantia:
Quali nitebat, obrutus
Saxis supra se lumine
Cœlos apertos intuens.
Appaream bysso nitens
Albente, perfecta fide,
Qua te indui olim, gloria
Iamiam uidendum patriæ
Dantem pijs cœlestia,
Mutanda nullis seculis,
Tui fauoris præmia.

ANGELVS DVX IN uitam cœlestem.

PAEAN XX.

HOc restat unum scilicet,
Mundo relicto, carneam

Ponamus ut compaginem.
Cœli quod est, Deo datur,
Terræq; corpus creditur.
A' morte liberat nihil,
Et mortis atro pulueret
Nihil camino ab igneo,
Et inferorum faucibus,
Quàm Christus: ipse sustulit
Mortisq; peccatiq; onus,
Nulli piandum iam pio
Cœlo recedens à patre
Sed non linquens patrem tamen,
Quod non erat, tum factus est,
Permansit, & quod extitit.
Ipso peregrinus solo,
Cœlo imperauit inclitus,
Christus Deus, Christusq; homo,
Cœlo soloq; præpotens.
Suo ille descensu obruit
Hostem, suo ascensu extulit
Carnem, ad locans Patris sui
Illustri honore dexteram.
Hoc Angeli spectaculum
Mirantur ipsi, & ardua
Cœli potentem prædicant,
Cœlum tenenti seruiunt.
Astant gubernanti omnia
Terris, profundo, & æthere,
Astant & in certamine
Nobis fideles, tempore

Vrgentis

Vrgente mortis, nec suas
Lectis ab ægrotantium,
Linguis ab inuocantium,
Aures manusq; diuquent.
Legunt supremos halitus,
Sinuq; gestant Lazarum,
Semenq; terræ conditum,
Neruos & ossa colligunt:
Sunt quis datus uolucribus,
Monstris marinis, bestijs,
Saxis perit uel ignibus,
Crudaq; torporis manu,
In mille partes sectus est,
Cedat timor, formidoq;
pellatur, eiulatio
Cesset, querelæ desinant,
Sistantur omnes lacrymæ,
Qui Patris ad dextram Deus
Homoq; regnat, noster est
Sanguis, suoq; sanguine
Vitam, salutem rettulit.
Iò sonate singuli,
Iò uniuersi plaudite:
Nam Christus ad cœlum uia est,
Ad astra ductor Angelus.

NOBILITATE ET VIRTVTE PRAESTANTIS VIRI, D. *Nicolai Eblebij, Alberto filio, Iacobus Fabricius Chemnicensis*

S. D.

CVM amicorum memoria semper nobis sit iucunda, tum grata præcipuè est eorum, in quibus magna spes uirtutis, & animus erga nos singularis ostenditur. Itaque adeò uehementer obitu familiarium perturbamur, ut in uno homine pluribus nos destitui commodis sæpe conqueri soleamus. Hoc ita se habere, superiore anno sum expertus, cum nobilis ac præclarus adolescens Albertus, Iohannis uiri præstantissimi F. Eblebius, cum æterna uita temporariam hanc commutaret. Traditus ille mihi ante nouennium in disciplinam, de se adolescentulus indicia dabat ingenij, morum, pietatis, planè egregia: ut spes obscura non esset, fore eum aliquando suis ornamento, & magno Reipublicæ usui. Atque utinam, ut ille expectationem hanc constanter sustinebat, ita nos uirtute eius frui diutius potuissemus: certè neque familia Eblebiorum decus ademptum sibi doleret, neque ego amissum literarum & religionis patronum. Nam si eius summè prædicem naturæ bonitatem,

morum

morum innocentiam, pietatis amorem, non uerebor, ne adulari amici cauſſa quenquam uidear. Nouerũt omnes qui nobiſcum uixerunt aliquot annos Miſenæ, qui aliquot Argentorati: & qui in Gallia, Anglia, Belgio, atque in reliqua noſtra peregrinatione fuerunt. Qui eum non charum habuerit, cui conſuetudo eius & uita non fuerit probata, audiui neminem. De ſtudijs & ſolertia ideo nihil commemoro, quòd eorum fructum ob immaturam mortem percipere nobis non licuit. reliquarum autem uirtutum, pietatis in primis erga Deum, & parentes, & magiſtros, cæteroſq; omnes, documenta perpetua dedit: & hæc tali conſtantia, ut uitæ laudatæ, ſimilis mors, & fiducia in Chriſtum beatiſsima reſponderit.

Hæc cum ita ſint, & noſtri Alberti nomen recordatione amabile, atq; exemplum imitatione nobis utile ſit, ijs quas poſui, de cauſis: libenter hanc alloquendi te, Alberte ſuauiſsime, occaſionem arripui: in re quidem non magna, & ex alieno: ſed tuæ ætati, ut puto, idonea, & minimè aliena. Collegi enim è fratris Georgij bibliotheca libellum, quem ipſe HEROICON inſcripſit: eum ad te transferre eius permiſſu uolui. primùm, ut Alberti patruelis tui memoriam piè renouarem, & quanti eum amicum fecerim, oſtenderem: deinde, ut ad earundem uirtutum uiam ingrediendam, qua ille te magna cum laude antreceſsit, pro meo in uoſtram gentem ſtudio & amore, te

cohortarer. Quanquã nõ tam cohortor, quã spero de tua indole: cũ in eadẽ familia, & ex parente tot linguarũ, tot exemplorũ perito natus, nõ possis nõ polliceri de te, quę in patruę le tuotã fuêre glorioſa. Atq; ut illud certò persuasum habeo, ita quæ in Alberto defuncto erepta nobis requiro, eadẽ ingenij tui præſtãtia eſſe reſtituta, tibi gratulor, & mihi gaudeo. Quę expectatio ne quẽ fallat, cùm per ætatem poteris, quam tibi à Chriſto quàm longiſſ. comprecor, omni cõtentione animi ſtudebis.

Vale Miſenæ. Cal. Ianuarijs.

M. D. LXV.

HEROVM VITA.

HYMNVS I.

ADAM Dei factus manu,
Primus pater mortalium,
Dolo colubri perditam
Fide recepit gratiam.
Tu martyr ABEL maxime
Manu infideli concidis:
Sed tę manent cœleſtia
Vitæ beatæ præmia.
Mœſto patri, mœſtoq; auo
Optata præſtans munera,
Inſtaurat ENOS inclitæ
Triſtem ruinam Eccleſiæ.
Deo placens per arduum

Sublatus ENOCH ætherem,
Expers necis, uitæ docet
Restare longæ gaudia.
Quotquot fuêre, quotq; erunt
Annosior MATHVSSALA,
Cui, ne perire cerneret
Orbem, ipsa mors uictoria.
At præco iustus enatus
Vndis NOE furentibus
Ab orbe, seruauit gregem
Deus piorum, condito.
Serua pater tumultibus
Et nunc in his coctus pios,
Contra furores omnium
In te Deus pugnantium.
Tum nos beatorum sacra
Hinc transfer ad consortia,
Vt nostra quæ spes præcipit,
Fide assequamur gaudia.

PATRIARCHARVM fides.

HYMNVS II.

SEm partus optimus Noæ,
Cultor patris, cultor Dei,
Fert pro pudore, & patrio
Longæua amore præmia.
At EBER indens posteris
Nomen suo de nomine,
Regit senili turbidam
Auctoritate Ecclesiam.

Exem-

Exempla PELEG aspicit
Confusionis horridæ:
Et THARA gaudens in suo
Factus celebris filio.
Abram patri, ABRAHAM Deo
Dictus, probatus, cognitus:
Senex fidelis, omnium
Magnum pater credentium.
Patris sarissam sustinet
Obediens ISACVS,
Non insciens fide, Deum
Posse excitare mortuos.
Nihil malorum non tulit
IACOBVS exul seruiens,
Deiq; plenus spiritu
Futura posteris canit.
IOSEPHVS in lacu, Deo
Calumniaq; & uinculis
Fidens, gerit mox aureum
Monile, byssum regium.
Nobis eandem mi Deus,
Benignus imperti fidem,
Iussis tuis alacribus
Vt pareamus mentibus.

PATRVM GLORIA.

HYMNVS III.

IVdæ amore cognitus
Dei, leonis feruidi
Virtute, genti de suo

Nomen relinquit nomine.
Qui gratulantur nuptijs,
PERIS precantur gloriam
Domus, & huius pronepos
Fit magni Aaronis socer.
Non abijcit gentes Deus,
Iungit Syram qui SALMONI,
Arabem BOOZO coniugem;
Ignobiles potentibus.
ISAIVS armis educat
Fortes ad arma filios:
Sed DAVIDEM gratum Deo,
Gregi pusillum præficit.
Salue decus gentis tuæ,
Seu sunt gerenda prælia,
Pulsanda seu templis chelys
Vatesq; rexq; maxime.
De cuius ortu prodijt
Conceptus à flatu sacro,
Natus puella uirgine
Christus salus fidelium.
Da nos ad hunc attollere
Et corda, & ora, & lumina,
Qui das Patrem nos noscere,
Natumq; sancte Spiritus.

DVCVM POPVLI MAgnanimitas.

HYMNVS IIII.

MOSES

MOSES papyreto iacens
Dux excitatur, & mare
Virga secans, Aegyptios
Vidit perire principes.
Vidit cohortes inuidas
Et turbulentas, uiscere
Telluris haustas, & nigris
Viuas receptas sedibus.
Cum fratre frater sicuti
Miscet loquelam, cum Deo
Sic uerba sæpius facit
Sina atq; Orebo montibus.
In morte uiuens, Thaboris
Apostolus in uertice
Confirmat, & Christo suæ
Diuinitatis testis est.
Virtus CALEBI uiuida
Durat senili in corpore
Non saxa plebis horruit,
Aut uim gigantum palluit.
Inuictus ore, pectore,
Fatur, facitq; fortiter,
Fideq; monstrat posteris,
Quàm sit bonum, sequi Deum.
Te IOSVA omnium ducum
Virtute felicissimum
Sol audijt, iußu & tuo
Decliuis orbe consistit.
Fluuius moratus paruit,

Deditq;

Deditq; militi uiam,
Triginta & unus, sunt tuo
Mucrone reges mortui.
Terris dedisti limites,
Et erudisti principes
Vtrunq; doctor optimus
Bellator inq; territus.
SALMON, salutis prodigus, pro hospitio Salmon Rahabam duxit Matth. 1. 5.
Perlustrat hostilem plagam,
Et fune missus mœnibus,
Dignam hospitæ fert gratiam.
RAHAB, ministra Ecclesiæ,
Illustris in thorum uiri,
Locatur, inter nobiles
Posthac celebris fœminas.
Da Christe cunctis seculis
Heroas acres, seu manu
Tuenda, seu uerbo tuæ
Regnum decusq; Ecclesiæ.

IVDICVM VIRTVS.
HYMNVS V.

OMnis subacta gens, Deo
Aduersa, sensit cœlitus
Victoriam dari, & nihil
Magnis inesse uiribus:
Fratris Calebi filius,
Gener Calebi factus est
OTONIEL, qui Chusanem
Euphratis ad ripam fugat.

EHVDVS enſe trajicit
Pinguem Moabum, & occupans
Iordanis armatus uada;
Hoſtes minaces contudit.
Ducem Chananæum quid iuuant
Currus & arma? uincitur
DEBORA ductu qui tuo,
Cuditq; dextra fœminæ.
In Midianitas feros
Iuſſu Angeli exit GIDEON,
Et ante inauditam, refert
Ollis tubisq; gloriam.
Audi Ammon, æqua flagitat
Te IEPHTHA: ſed ſpernens Deum;
Succumbis, ereptis tibi
Lugens bis urbibus decem.
SIMSON Philiſtæos agros
Qui uulpe uaſtat milite,
Tandem potentes ſatrapas
Euertit, unaq; occidit.
Heu lenitas HELI tua,
Qui filijs ſtulte impijs
Perdis fauendo Eccleſiam,
Tuamq; ſubruis domum.
Nil à Deo HELCANA ſatus
Fruſtra petiuit: militem
Strauit Tyri qui fulmine,
Regemq; ſeruatum manu.
Hoſtes Dei atq; Eccleſiæ
Iuſtis ut armis concidant,

Mundi

Mundi hoc ſupremo tempore
Regnator ô Chriſte effice.

REGVM FELICITAS.
HYMNVS VI.

GEns libera, & manu Dei
Defenſa mirè cœlitùs,
Deum abijcit, gentilium
Rituq; regem poſtulat.
SAVL ante clitellarius,
Rex à Propheta inungitur,
Submiſſus & quod accipit,
Regno ſuperbus excidit.
Greges modò qui pauerat
DAVID, coronam regiam
Geſtat, ſecundum cor Dei
Vir, maior omni carmine.
A PACE dictus filius
Non copia aut ſcientia
Tulit parem: ſed coniugi
Idola ſtruxit impiæ.
Heu, monte eodem cernitur
Templum Dei illuſtriſſimi,
Et turpis Aſtartæ, omnium
Demoliendum dexteris.
Reges ſuperbos deijcit,
Libidinoſos conijcit
In contumeliam, impios
Euertit & punit Deus.
O rector alte cœlitum,

Regumq; rex potentium,
Tu regna serua, quæ tuo
Vicißim honori seruiunt.

PROPHETAE GVbernatores.

HYMNVS VII.

ECclesiam expertem suæ
Non esse mentis uult Deus;
Caliginosa nec premit
Ventura nocte tempora,
Vates sacrato nomine
De puluere & luto excitat,
Effert eosdem honoribus
Ornatq; byssо & annulo.
IOSEPHVS ereptus lacu,
Thoro & proteruæ fœminæ
Regit Canopum, & barbaros
Docet Bubastis principes.
MOSES per undas, & loca
Deserta ducit subditam
Gentem Deo, deq; omnibus
Certus triumphat hostibus.
Sanguis parentis optimæ
SAMVEL, repulsa interritus
Saulem ungit atq; deijcit,
Dat sceptra digna Dauidi.
Cum regibus thronum simul
DANIEL tenebat Persicis,
Dans debitum regi, & Deo

Laudem

Laudem atq; cultum altißimo.
O nominis ſemper Dei
Amici, & incolæ domus,
Puſilla quamuis nomina,
Et imperent & floreant.

PROPHETAE DOCTORES.

HYMNVS VIII.

OMnis propheta doctor eſt,
Et mentis interpres Dei
Eiusq; munus, abditæ
Regina conſcientiæ.
MOSES prophetarum decus,
Legis miniſter factus eſt,
Scriptis ſed æternum Dei
Idem celebrat filium.
Non cura regni, bellaq;
Bellata magno DAVIDI,
Suauem morata barbiton,
Et aureæ plectrum lyræ.
SAMVEL ELIAS, & patrii
Linquens aratrum, publicis
Ludis magiſtri, de Deo
Mentes docebant ſimplices.
GADVS reprendit Dauidem,
Eiusq; NATHAN filium
Vngit, modò quem litteris
Formarat atq; moribus.
Chriſtum ISAIAS concinit

Natum, sepultum, mortuum,
Eumq; gaudet denuò
Cœlo receptum uiuere.
OBEDVS infantum gregem
A cæde seruat impia:
IEREMIASq; patriæ
Vidit ruinam, & questus est.
Audite gentes, credite,
Vobis adest regnum Dei:
Quod THECVITES, plaudite,
ZEPHANIASq; nunciant.
Audite, Bethla dux gregis
Verbo MICHRAE prodiet,
ZACHARIAS quem prospicit
Asino sedere pauperem.
De pace dicet, inferos
Mortemq; uictor uinciet,
HAGGAEVS hoc solatium
Ingens, OSEASq; edidit.
Fundet sacratum Spiritum,
Vero IOHELIS carmine,
Lethoq; functa, HEZECHIEL
Est testis, ossa colliget.
Mittet IOHANNEM nuncium,
Vitæ parantem semitam:
Stat Christus in templo, pius
Non decipit MALACHIAS.
O Christe, decedas sacris
Nunquam ædibus: nec seculis,
Qui buccinent nomen tuum,

Desint

Desint Prophetæ in ultimis.

PROPHETAE martyres.

HYMNVS IX.

CArcer, cathenæ, compedes,
Saxum, sariſſæ, ſerraq;
Sanctis & immerentibus
Dantur Prophetis præmia.
Manu MICHEAS cæditur,
AMOS flagellis: uerba quòd
Malis loquentes libera
Non parcerent hypocritis.
Vt uiuat, ut regnet Ioas
Fidus ſacerdos efficit:
Sed rex merentis optimè
Pium necauit filium.
Non ISAIAM regia
Iuuit bonum propinquitas,
Quem ſerna perditiſſimi
Secat Manaſſe lignea.
Plagas, ſpeluncam, uincula
IEREMIAS domi tulit,
Captamq; ſolatus foris
Plebem, lapidatus interit.
Vatis quòd VRIAPij
Cauſſam tueris fortiter,
Aegyptio tractus ſolo
Graui feriris uulnere.
Maior IOHANNES omnibus

Qui sunt, fuêre, & postea
Sequentur, immanissimi
Herodis ense tollitur.
" Est nempe uita dulcior,
" Magis beata, certaq;:
In qua Deus dabit suis
" Maiora seruis præmia.

REGES GENTIum pij.

HYMNVS X.

SVbmisit aures, sceptraq;
Rex DELICATVS, hospiti
Ionæ: monentemq; audiens
Deum, trementi parcitur.
" Seruatur urbs, dum pœnitet:
Sed prisca uitæ crimina
Redintegrans, hostilibus
Paulò interit pòst, ignibus
Rex MAGNVS (heu) superbiens
Bruteścit, atq; pabulum
Siluæ metens, non unius
Imaginem fert belluæ.
Sed redditus sibi, Deo
Grates canit, Deum coli,
Cœlo soloq; maximum,
Gentes per omnes præcipit.
Hinc MERODACHVS patrium
Ritum sequens, à satrapis
Ecclesiam quòd liberat,

Stulti notatur nomine:
O munde, semen Satanæ,
Infeste supremo Deo,
Pijs inique regibus,
Viris atrox sanctißimis.
DARIVS è lacu extrahit
Sanctum prophetam, proq; eo
Flet excubans: à bestijs
Praui uoranitur æmuli.
Nutritus à CANE (ut ferunt)
Reddit Deo & templo decus,
Gentemq; donat liberam
Serubabeli principi.
Felix EBRAEA coniuge
Rex, punit hostes nominis
Dei, & per Esdram reddidit
Legem, hostias, connubia.
Vrbis iubet LONGIMANVS
Purgare sacræ rudera,
Et adiuuat Nehemiam
Portas struentem sumptibus.
Confisa principi suo
Cœlum tenenti, Ecclesia
Laborat, & non concidit:
Iactatur, & non mergitur.
Hæc inter hostes seculo
Vt persistet extremo quoq;
Da Christe, & eius subijce
Regno tyrannos exteros.

PROPHETAE. GENTIVM doctores.

HYMNVS XI.

NOn gratia angustis Dei
Clausa est, fuitq; finibus,
Promissa cunctis gentibus,
Non tantùm Ebræis debita.
IONAS fugax compellitur
Ninon docere regiam,
Intra dies cœlestibus
Paucos uorandam ab ignibus.
Rex audit, & pro byssina
Sumit lacernam lugubrem:
Regem sequuntur agmina
Prostrata luctu ciuium.
Nec natus HELCIAE mihus,
Eiusq; scriba, creditis
Sunt inter ipsa uincula,
Monstrasse uerum Aegyptijs.
Vnum potentem Spiritu,
Mente & prophetica uirum,
Intenta & axe & auribus
Chaldæa tota suspicit.
Ille Imperatores docet,
Mutata cernens temporat
Idem futurorum sciens
Fastos sequentes ordinat.
Tu PAVLE doctor gentium,
Volans per orbis circulum

Grege

Greges agis, quot ante te
Nemo omnium mortalium.
A solis ortu ad uesperam
Quâ cingit ambitus maris
Terras, & aduersa uiri
Quâ calce nobis ambulant,
Est audiendus omnibus
Deus locis, seruandaq; est
Gens sparsa per mundum, pijs
Cœlum replendum ciuibus.
Te nostra Christe uox canit,
Qui nos malignum & deuium
Vulgus recepisti quoq;
Regni in tui consortium.

APOSTOLI MARTYRES.

HYMNVS XII.

CHristum secutos, omnium
Testes cano discriminum,
Veros & eiusdem nece
Resuscitati, nuncios.
Audit docentem Cappadox,
Et ora Ponti, te PETRE,
Versæ trabi qui figeris,
Tandem Nerone iudice.
Hunc fortis ANDREAS sequens
Isthmum replet, Patrensq;
In urbe, non fratri impares
Vidit necatus exitum.

IACOBE magne, qui tuos
Doces Ebræos: inuidis
Linguis calumniantium
Herodis enſe raptus es.
Solus IOHANNES effugit
Lictoris efferi manum,
Chriſtum canens Ionibus,
Pathmiq; duris incolis.
IVSTI uocatus nomine
In patria, pinnaculo
Turbatur, & ſaxis ruit,
Conto & petitus oppetit.
IVDAS, Magos quòd Perſico
Errare regi dixerat,
A' cæde triſti, regia
Non ſoluitur ſententia.
Tibi SIMON plaudit Pharos,
Siticuloſaq; Africa,
Serraq; diuiſo, debina
Arasq; templaq; erigit.
Cum Parthicis prouincijs
Subiecta THOMAE Media:
Sed dum negat Mithræ deum,
Cæſus peribat lancea.
MATTHAEVS Hirtaci manu
Regis cadit: quòd Aethiops
Niger beatur, grande fert
Huic munus acceptum uiro.
PHILIPPVS in Scythas mouens
Vincit feroces: duplici

Lebo

Letho datus: nam fixus est
Cruci, inde saxis obrutus.
Indos lauacri flumine
Rigat sacrato, REGIVM
Cui stemma fertur, qui cute
Membris adempta cæditur.
Qui proditoris in locum
Lectus, securim pertulit,
A' propriaq; perditus
Fuisse gente traditur.
Non te relinquam, Gentium
Doctor: tibi haud nocent leo,
Saxum, flagella: sed manus
Neroniana concidis.
Iter per arduam crucem
Iustis ad astra panditur:
Vitam quis amittit, Dei
Ob nomen? in cœlo inuenit.
Olim redibunt splendidi,
Secli maligni iudices:
Quos mundus, ut lutum, malus
Calcauit, odit, sustulit.

EVANGELISTAE.
HYMNVS XIII.

ORtum, actiones, & necem,
Christi sonant, & posteris
Eius triumphum & gloriam
Euangelistæ nunciant.
MATTHAEVS humanum gerens
Vultum,

Vultum, magistrum laudibus
Celebrat, & scriptor pius
E' publicano factus est.
MARCVS leonis pectore
Iubas' mouentis horridus
Christum docet, per quem salus
Et uita mundo contigit.
LVCAS, iuuencus sicuti
Cornu petit: Christo decus
Dans unico, eius & pios
Scriptis ministros prædicat.
Tractus IOHANNES nubium
Trascendit, instar alitis,
Christumq; ab æterno Patre,
Natumq; laudat uirgine.
Tot olim Adamo conditi
Horti, fuêre flumina:
Origo quorum erat Dei,
Et fons perennis filius.
Per hæc rigatur, quidquid est
Ab ortu Eoo ad uesperum:
Ex his bibentes, arida
Siti haud laborant amplius.
Nascendo Christus fit homo,
Mactatur & ritu bouis:
Resurgit ut leo, alitis
Tendit uolatu ad ardua.
Te Christe nosse, credere,
Sperare: uita, pax, salus,
Siccaq; fauce de tuis

Gustare

Gustare rivis, gaudium.
His ergo fontibus sacris,
Puris, amœnis, limpidis,
Bibamus immortalibus
Vt seculis, sancte effice.

DIES HEROICVS. VIII. CAL. April. Ecclesiæ celeberrimus.

HYMNVS. XIIII.

HAec illa prælustris dies,
Die celebris cœtui,
Et cognita ipsis Angelis,
Omni canenda seculo.
Hac conditus primùm est ADAM,
Hac lapsus: hunc illum à Deo
Audit suauem nuncium,
Vives: colubri ictum est caput.
Ducenta lustra euni, minus
Bis septem eadem mortuus:
Qui spe futuri seminis
Amissa regna possidet.
Hac ABEL hostiam offerens
Deo placentem, sanguinem
Fudit, manus quem sustulit
Fraterna, martyrem inclitum.
NOE per orbis horridas
Vectus ruinas naufragi,
Anni peracto tempore
Hac exijt demum die.

Rex & ſacerdos hac Deo
Panemq; uinumq; obtulit,
Syrosq; contra prædicat
Magni ABRAHAE uictoriam.
Hac ductus eſt ad Moriæ
Celſum cacumen ISACVS,
Quem inſſus eſt parens, Deo
Mactare ferro uictimam.
Ab Angelis item LOTHVS
Fœda è Gomorrha educitur:
Cippus ſit uxor, & ſalis
Inſtar madentis liquitur.
IACOBVS hac uicit Deum,
Viditq;, uerſo nomine,
Deiq; tactus dextera
Nutante claudicat pede.
Boias, cataſtas, uincula
Aegyptiorum, GENS Dei
Hac fugit, atq; dextera
Altiſſimi defenditur.
IOSEPHVS à crudelibus
Hac mancipatur fratribus,
Interq; binos aulicos
Ritu nocentis uinctus eſt.
Hac fertur unctus ISAI
Pacali oliua filius:
Quem paruulum Deus pater
De ſtercore effert pauperem.
Hac profugum IONAM metu
Leo marinus deuorat:

Claras

Claras imagines Deus
Sui dedit quos filij.
Hac post peracta secula
Sacris notata paginis,
Mouente CHRISTVS flamine
Conceptus est à uirgine.
Tum lustra post duo, & duos
Annos, parente cum suo,
Ingressus urbem regiam,
Inter peritos disputat.
Hac passus idem & cæsus est,
Factusq; mundi uictima,
Et traxit ad cœlestia
Secum LATRONEM gaudia.
Hac DOCTOR & DECVRIO
Christo parentant, qui metu
Prius latentes, iusta nunc
Soluunt uerendo corpori.
Hac ethnicus CENTVRIO
Spectator indignæ necis,
Hic innocens homo est, ait:
Plebs tundit omnis pectora.
Herodis hac fertur trucis
BAPTISTA cæsus materi,
Puella turpis cui caput
Saltando, ridendo abstulit.
Herode ab altero quoq;
IACOBVS ense tollitur,
PETRVSq; uinctus à Deo
Hac liberatur Angelo.

SMIR.

SMIRNAEVS hac episcopus
De pace nomen cui datum,
Nepos Apostolorum, aquis
Mersus profundi fluminis.
Hæc illa prælustris dies,
Exempla quæ tot inclita
Dat intuenda Ecclesiæ,
Omni canenda seculo.

ALIVS.

VIII. Id. Ianuar.

HYMNVS XV.

ADes beata Trinitas,
Fauæ perennis unitas,
Vno canentibus die
Trinam merenti gratiam.
Exorta stella regij
Partus per orbem nuncia,
Cunctis puer qui nascitur,
Ab omnibus nunc noscitur.
Proles pudicæ uirginis,
Iordanis amne tingitur.
Vox patris è cœlo sonat,
Sacerq; Flatus aduolat.
Aqua repletis hydrias
In nuptiarum gaudijs,
Pauper Canæus fundere
Meraca uina conspicit.
Almæ salutis perditis
Oblata spes est gentibus,
Perducit ad Dei sacram
Quos clara lux Ecclesiam.

Hanc

Hanc sorde squallidam, nouo
Reddit nitentem flumine,
Cœliq; clausam ianuam
Pandit sacrato numine.
Haurire donat inclitum
Sui cruoris poculum,
Et uertit in cœlestia
Quidquid molestum gaudia.

ALIVS.

VI. Cal. April.

HYMNVS XVI.

CLausus sepulchro, & inferis
Visus, recepto lumine
Sol ille iustus, exerens
Vultum, tenebris emicat.
Christum moratur nulla uis
Mortis, nec Orci ergastula
Tenent potentem: clarior
Victis triumphat hostibus.
Qui Magdelenæ se dedit
Palam uidendum, qui Petro,
Se pro meo probat quoq;
Passum & reductum crimine.
Nec ille non mulieribus
Simul tribus, socijs decem
Appâret, uno plurimis
Vt gaudium ferret die.
Ignotus obuiam in uia
Venit Cleopæ incredulo;

Mentem inscijs, tardisq; cor
Docendo, culpando instruit.
,, Christi triumphus noster est,
,, Nobis resurgit, ut suam
Communicet credentibus
Hæreditatem & gloriam.

GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS, D. CASPARI Neuio, medico clarissimo, S. D.

MIsimus ante tibi Neui clarissime, nostros
Versiculos, uarijs carmina tincta iocis:
Nunc eadē cultu meliore remittimus, illo
Scilicet, indutos quo decet esse pios.
Quàm pudet, & doleo sacris iunxisse profana,
Exemploq; alijs sic nocuisse malo:
Nec uis ingenij, & morum dulcedo bonorum,
Nominibus fatuis significanda fuit.
Ipsa Venus nihil est, furtis lætata malignis,
Quæ fuit in patria pro meretrice sua.
Iuppiter illustres aulas infamat adulter,
Integer & placitas nescit adire domos.
Quid facit in uersu sancto, Peneia cuius
Primus amor? quid tu crimine Bacche furens?
Quæq; patris salijt cerebro, & qui furibus aptus,
Interpres hominum dicitur atq; Iouis?
Talibus à monstris purgata est area nostra,
Puraq; (mens donec sana manebit) erit.

Ni

At sic stelliferum per Olympum dictus Orion,
Nominaq; Arcturus sic, Hyadesq; tenent.
Talia in hunc licet usq; diem quoq; nomina rebus
Ponere: sed summo ponere nulla Deo,
Ille habet haud ulli mutandum, aut mobile nomen,
Nec fert illicità se ratione coli.
Condita tantùm etiam distant à principe, quantum
Ortus ab occiduis, à tenebris q; dies.
Non mihi pro Christo, posthac dicatur Apollo:
Nec nisi culpatus Iuppiter, ore cadat.
Proq; Dei genito, seu Pallas, sive Thaleia,
Seu Charites numeris non celebranda meis.
Nec iuxta Domini statuatur Sidonis ædem
Astarte, Dominus sit mea lingua Deus,
Qui iustum uerbo cum cœlis condidit orbem,
Sólus & augusti nomina patris habet:
Inq; suo nato, qui uult & gaudet amari,
Inq; sibi simili est numine, uerus amor.
Qui castas iunxit paradisi in gramine mentes,
Corpora mente una uiuere bina iubens.
Inseuitq; sui generosos pectoris ignes,
Angelico multa laude sonante choro.
Tales nunc refero geniali carmine flammas,
Dicens quas aras conuenit ante sacras,
Ad quas sponsa Deum possis, & sponse uocare,
Et quas munifico Christus honore probat,
Cùm coram hospitibus latices in dulcia mutat
Vina thori dominus, læticiæq; dator.
Absint porrò hederæ Bacchi, cestusq; Dionis,
Neptuniq; trideus, Mercuriiq; pedum:

Ne plus his numeris, monstrosaq; numina, uel quos
Finxit credulitas ingeniosa deos:
Quæ Scabies habuit, quæ Febris templa: colantur
Illis, quos scabies, quos mala febris habet:
At nos progenies sanctorum sancta parentum,
Aeterno simus turba diserta patri.
Sed uelut Eoo retulit qui carcere palmam,
Exhausto minor est robore, fortis equus:
Sic mihi, quem toties iuncta negocia turbant,
Ingenij uenam deprimit ipse labor.
Nec tamen orantes repuli nimis asper amicos:
In mutis etiam sæpe disertus amor.
Quæ multis igitur diuerso tempore lusi,
Offero iudicio carmina cuncta tuo.
Omnia néue legas (modò si tamen ista legenda
Duxeris) en quæuis pagina finis erit.
Quòd tibi si tenuis non displicet optime Neui
Hic labor, in paruo carmine magnus ero.
Nam tu iudicio clarus, pietate celebris,
Quæ pia sunt solum, quæq; proband a, proba.
Vtq; meum quid sit noris (nihil inuida curo
Iudicia) haud multis uersibus ista tene.
Quod non cœlestemq; Patrem, Natumq; perennem,
Et Flatus celebrat munera sancta Dei,
Commendatq; pios homines, doctosq; labores,
Fabricij carmen dicere parce tui.

GEOR-

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS CARminum Liber Primus.

DOMINO AVGVSTO ILLVstri Saxoniæ duci, & Dominæ Annæ Daniæ reginæ.

RELIGIO.

Sancta ego Religio, *ſupremi nata Tonantis,*
Hæc Auguſte tibi, hæc comprecor Anna tibi.
Dania ſit felix, ſit felix Saxonis ora,
Aeterni cultrix utraque terra Dei.
Semper honos ueſter maneat, ſeriq; nepotes.
Magnanimos celſa mente ſequantur auos.
Nulla leuis placidas turbet ſententia terras,
Sinceræ conſtans ſit pietatis amor.
Me colite in primis igitur: gratiſſima res eſt
Cœlicolis, animum Principis eſſe pium.

PVDICICIA.

Hæc ego ſerta gero, glaucos hos duco leones,
Dona ferens dignis digna Pudicicia.
Serta tibi cingant regales Anna capillos,
En ornat uiridis quàm bene ruta caput?
Scilicet ut uiret hæc, pugnatq; inimica uenenis:
Sic uireas, noceant ſic mala nulla tibi.
Addita ſint Auguſte tuæ hæc animalia pompæ,
Hoſtibus inuicto pectore nota ſuis.
Tu quoque cum magnis clementia pectora iunge.

Hic erit Augusto nomine dignus honor.

CONCORDIA.

Hæc ego castorum concordia mater amorum,
Vota fero castis non violanda thoris.
Vincula conjungant faciles adamantina mentes,
Dulciaq; impediat gaudia triste nihil.
Sit quoque uester amor, sicut tuus inclite ponti
Regnator, tuus aut Hypsicratea fuit.
In thalamis & cum pax floreat aurea uestris,
Ciuilis maneat tum sine lite status:
Qualiaq; Augusto sub Cæsare secla fuêre,
Augusto redeant talia secla duce.

SEBASTIANO HILLINGERO Iureconsulto, & Catharinæ Losselianæ.

CONTRA EVRIPIDEM COMIcum, pro fœminis.

SEbastiano moribus,
Et litteris cultissimo,
Virgo, fauente numine
Venusta, diues, integra,
Losseliana jungitur.
Leues iambi morsibus
Dicati, & apti gaudijs
Inferte morsus improbo,
Et læta amico promite.
Quisquis deorum fœminam
Finxit, canente Euripide,
Auctor malorum maximus,
Hominiq; acerbus extitit.

Stareus

Starent Athenæ non tuæ,
Non Xerxis amplas copias
Armis fugassent: non tuus
Cothurnus immortalibus
Adhuc uigeret laudibus:
Non ipse qui conuicium
Facis Deo atq; fœminis,
Vates fuisses aut homo,
Ni fœmina natus fores,
Lucemq; haberes à DEO.
In morte quod superstites,
In uita honesti uiuimus,
Hoc fœminis Euripide
Debemus inuito bonum.
Aufer procax calumniam.
Et si quid audis, aut uides:
Audi Deum, spectа Deum.
Qui post polum, qui post solum,
Post pulchra mundi lumina,
Virum ex luto, sed fœminam
Ex osse condidit uiri.
Prior uir ortu, fœmina
Magis sed ortu nobilis.
Hanc esse uitæ gaudium,
Curæ leuamen, cæteris
In rebus adiutorium,
Testatur ipse Conditor.
Nec ipse dedignatus est
Et ductor esse, & pronubus:
Nec hoc recusarunt pijs

Obire munus Angeli.
Quis ergo matrimonium
Audet proteruus carpere?
Quis dignitatem sexui
Venustiori demere?
Non uir thori expers, nec uiri
Expers, ferax est fœmina:
Sed è duobus his simul,
Non orbe solis igneo,
Nec arborum radicibus,
Nec è metallis montium,
Nec è marinis fluctibus
Nunc prodit humanum genus.
Quòd ciuitates, quòd domus
Florent: quòd ipsa Ecclesia
Canit modò, atque olim canet,
Hymnis Deum perennibus,
Hic primus atque hic ultimus
Connubiorum fructus est.
Quod sunt probatæ filij
Iucunda uitæ gaudia:
Quod seminarium pij
Cœtus restat: fidelibus
Hoc fœminis, Euripide
Debemus inuito bonum.
Tu cùm tuam complexibus
Sebastiane coniugem
Ambibis, & ferens feres
Mellita blandus oscula:
Gaudebis ut castum decet,
Orabis ut pium decet,

quos

Tuoq; gaudio & preci
Deum fauere ſenties:
Qui te beabit liberis,
Tuamq; defendet domum:
Cui tu diei lumine,
Cui noctis atro tempore
Grates canes, & debitis
Implebis aſtra laudibus.
Tu, cùm ſerena protinus
Mutabitur felicitas
(Vt nil beatum, nil diu
In rebus humanis tenax)
In aſperis mentem uiri
Præſtabis, ut fortem decet:
Orabis, ut pium decet:
Et coniugem curæ tuæ
Lenimen eſſe ſenties.
Expertus inde numinis
Opem, fauorem, gratiam,
Datas uoles, in pauperes
Bonosq;, opes profundere.
Non ullus orietur dies,
Non ullus occidet dies,
Quo non feres amabilis
Benignitatis gaudia:
Quòd ſunt, Deum qui nouerint,
Et qui merendo comparant
Pulchros amicos, fœminis
Hoc fœminis Euripide
Debemus inuito bonum.

VALENTINO GRAVIO SENATORI FRIBERGIO, & Helenæ Vuelleræ.

VOs mecum Grauio, & pio Patrono,
Cœlorum sacra templa permeantes,
Et doctis animi uiris fauentes
Cantu promite uota gratulando.
Intus legitimo calens amore,
Iam sponsæ thalamos init pudicæ.
Fas huic prospera mille fata, lætæ
Vitæ gaudia mille comprecari.
Crines ambrosia rigate sponsi,
Atq; ambite amarantinis corollis,
Qui multis bona multa præstat, & quâ
De doctis cupit omnibus mereri.
Faustum optate thorum, bonos amores,
Vos mecum Grauio, pio Patrono.
Iam nostro Grauio, pio Patrono,
Par est uoce animoq; gratulari.
Huic perspecti Helenæ pudoris uxor,
Iuncta est auspicijs, bono marito.
Felix muneribus puella sponsi,
Felix uirgo uiri fide atq; amore.
Tranquille placidos agatis annos,
Dignus coniuge, digna tu marito.
Rixarum procul atq; iurgiorum
Caussam, & pectoris improbi calores
Vos cœli unanimes fugate mentes.
Sit concordia, sitq; pax amica,
Et fœcunda domus, propago casta,
Iam nostro Grauio, pio Patrono.

MEL.

MELCHIORI PISONI AVVNculo, & Annæ Creuceræ.

AD Drauum ab Albi flumine,
O Christe nostras fer preces:
Nam læta charo carmina
Dicenda sunt auunculo.
Vt auxit omnibus bonis
Deus Tobiæ filium:
Vt Raguelis liberat
Asmode tetro filiam:
Sic ditet omnibus bonis
Piso tuum connubium:
Sic Creucera adsit prospero
Tuis fauore nuptijs.
Hæc uota ut exitus bonos
Vterq; habere sentiat,
O Christe nostras fer preces
Ad Drauum ab Albi flumine.
Creas Adamum qui Deus
Terræ potentem & æquoris,
Sociamq; uitæ & omnium
Euam addidisti casuum:
Qui nunc & ista pectora
Iunxisti, & ista corpora,
Da Piso te, da Creucera
Veris honorent mentibus.
Da mutuo præcordijs
Se diligant ex intimis:
Da disciplina liberos
Domumq; sancta ut instruant.

Vt uita casta & innocens,
Commendet amborum fidem,
O Christe nostras fer preces
Ad Drauum ab Albi flumine.
Sit anxijs concors thorus
Solutus à molestijs,
Non firma frangat tabidus
Morbus luesue corpora.
Nati parentes audiant,
Seruiq; pareant heris,
Pisoniana imago sit
Piæ domus concordiæ.
Lacus abundent & cadi,
Vini referti munere
Extructa distendat ferax
Ager quotannis horrea.
Vt quæ Deus dedit, bonis
Alij fruantur plurimis
O Christe nostras fer preces
Ad Drauum ab Albi flumine.

VVOLFGANGO MEVRERO Medico, & Margaritha Blasebalgæ.

MAnu eminente quid Deus
Faces utraque concutit,
Geritq; bina flammeo
Coruſca tela lumine?
Facem tuo, telum tuo
Meurere condit pectore:
Facem tuo, telum tuo
Condit puella pectore.

VI

Vt mutuis complexibus
Sunt iuncta pulchra corpora
Sic mutuis amoribus
Sint iuncta fida pectora.
Florete dulces coniuges,
Iuncti perenni uinculo:
Vester beatus sentiat
Nullus amor molestias.
Florete pulchri liberi,
Pijs sati parentibus,
Virtute uestra uincite
Claram parentum gloriam.
Dat solus hæc Deus bona,
Deum timete coniuges:
Deus piorum nam thoros,
Beat pudicos coniugum.

CHRISTOPHORO LEVSCHnero Medico, & Margarithæ Glycæ.

VOs mortalibus ô amica turba,
Quamuis cœlicolûm ministra regi,
Vestris huc etiam aduoletis alis,
Portantes facilem fauoris auram.
Quæ Christus iubet esse sancta, cuncti "
Eadem gaudia comprobent necesse est. "
Cui donare scientiam medendi
Dignatus Deus, ingeniq; lumen,
Quid cessat Glyciæ tenere colla,
Puro candidiora colla lacte?
Capta est aspera Margaritha uirgo,
Et flamma penitus calet iugali,

Cessis

Castis moribus, elegante forma,
Et multis animi decora donis.
Sed Leuschnere quid ista lentitudo
Quid vultiarripo quod Deus benigna
Adducit tibi dextera: futurum
Tam felicior omnibus maritis,
Quàm raræ sociatus es puellæ.
Et tu sponsa viro iugata culto,
Optati thalamos adi mariti,
Quos cum matre tibi Deus parauit.
Tum quæcunq; bonæ fuêre matres,
Vincas prole, modestia, pudore:
In uestris quoq; gaudeatis ambo
Doctrina, pietate, laude natis.

BLASIO FABRICIO, ET Odiliæ Cratomylianæ.

SIs castis bone Christe mactè tædis,
Nutri sanctè Deus pios amores,
Grates Fabricius tibi frequentat
Amplexu suæ Odiliæ potitus,
Grates Odilia accinit, suiq;
Gaudet Fabricij potita tædis.
Nardo ut cynnama temperantur Indo,
Atq; ut uina fauo Attico Falerna:
Sic & gaudia uestra sic dolores
Forti sustineatis ambo corde.
Vt uiti quoq; copulatur ulmus,
Vt muris hedera implicatur errans:
Sic uestras eadem liget uoluntas
Mentes perpetuo pioq; uinclo.

Quid

Quid præter ſolitum refulget æther,
Quæ uincit noua flamma nuptialem?
Eſt præſens Deus ipſe, qui maritis.
Spondet proſpera cuncta conſecratis:
Quos non pauperies, nec atra morbi
Vis, ærumnaq; ſæua ſeparabit.
Ingentis fidei, ſpei, timoris
Olim exempla manent pios, ab iſtis
Nunquam coniugibus recedet, ille
Qui cum ſideribus gubernat æquor.
Non ſolatia deerunt uocanti
Patrem Fabricio poli potentem:
Nec non Odiliam piam & fidelem
Mens fida & patiens ſacrabit aſtris.

ANDREAE FABRICIO, & Vrſulæ Erneſtæ.

ANGELVS PRONVBVS Iſaci, Abrahami Gen. xxiiii.

TV fide tantum, nec Deo
Verere fortis credere
Andrea, & acer in tuo
Fidusq; perſta munere.
Quod ſit miniſtris Angelis,
Summiq; mandato Dei,
Hoc eſſe ſanctum, hoc oppidò
Votis petendum eſt omnibus.
Viro creauit coniugem,
Et inuxit ipſe conditor
Deus, perennem ut cogeret

Hoc

Hoc instituto Ecclesiam.
A` me pudica & nobilis
Rebecca coniunx Isaco,
A` tortuoso fertilis
Euphratis amne sistitur.
Dei fauentis numine,
Ductu meo, tua prece,
Sperata nunquam, sed tuo
Dicata lecto iungitur.
Sis cum tua florens diu,
Viuasq; laetus Vrsula:
Dei in timore educite
Deum colentes pignora.

ANGELVS PRONVBVS SARAE,
Raguelis F. Tob. III.

Intra cubile quas preces
Fudisti & ore, & pectore
Confidet ad aures Vrsula,
Venere praecelsi Dei.
Ventura quae sint plurimos
Vt post dies quis nouerit
Quis nouit olim quae sui
Pars sit futura gaudij?
Quas ipse naturae indidit
Flammas feraci conditor,
Has uentilat uolens sacri
Motuq; & igne Spiritus.
Per me, uacaret cùm precei,
Tristi puellae & simplici
Sarae Tobias à Nino

Ad usq; Medos ducitur.
Monstrantibus nec es pijs.
Decepta tu parentibus.
In cuius amplexus datur
Vir doctus, integer, bonus.
Sis salua semper cum tuo
Andrea, & expers litium,
Dei timentes, traditum
Vt munus exequamini.

AVCTOR SIBI, SVAEQVE, SPONSVS ORANS.

PArens poli soliq;,
Deus potens abyssi,
Creator Angelorum,
Nostræq; stirpis auctor:
Te laudo prædicoq;,
Tuo quod igne nostras
Accenderis medullas.
Tu coniugem pudicam,
Et moribus uenustam.
Ipse in manum dedisti:
Preces meæ atq; uota
Fregere, teq; frangent,
Vt ipse suscitatam
Serues alasq; flammam.
" Mortale durat omne
" Vinclo genus iugali:
Tellus per hoc stat, ingens
Cœlum per hoc repletur.
Adsis Deus, tuoq;

Clemens faue instituto,
In cordibus perennem.
Nutri pijs amorem
Quod sæpe te dedisti
Colentibus maritis,
Da quæsorne recedat
Nostro à lare & cubili
Grex sanctus Angelorum.
Seu læta, siue præstas
Aduersa, mens utraq;
Sorte acquiescat æqua.
Vitam colam per omnem
Te mi Deus, canamq;
Grates bono ac benigno.
Tollit canitq; iure
Vox omnis atq; lingua
Dei benignitatem.

SPONSA ORANS.

Deus parens, in uno
Qui filio, inq; sacræ
Lætaris igne flammæ:
De corde tolle nostro
Cæcoq; perditoq;
Morsum metus profani.
Vitæ tibi placentis
Deliberationem
In intimis alebam
Non improbam medullis.
Hanc ipse pro paterna
Clementia expedisti,

Sponsum

Sponsum mihi benigna
Dum dextera ipse monstrat:
Qui seruiens tenellæ
Nocte ac die iuuentæ,
Non inscius piorum
Magister est amorum.
Adsis Deus, nouumq;
Vitæ rege institutum:
Sim de tuis Deus mi
Ipsa una filiabus:
Sim de tuis Deus mi
Ipsa una matribusq;,
Mores sequar parentum,
Fidem colam mariti.
Dilectum amor secundus
Sit in uirum: sed in te
Sit primus ultimusq;.
Tibi pusilla curæ
Sit turba liberorum:
Nostrum thorum ac penates
Vultu intuere amico:
Quod tu tegis foues q;
Sacra fauoris aura
Om[illegible] est ab hoste tutum.

ALEXIO PRAETORIO THEOLOgo, & Iustinæ Riuiæ.

CARITAS.

Accepta caritas Deo,
Et ipse caritas Deus:

Flammam

Flammam pudicis indidit
Qui caritatis mentibus.
Hanc caritatem mutui
Mandans amoris, omnibus
Castas amare coniuges
Deus maritis præcipit.
Idem Deus qui iam tibi
Iustinam Alexi tradidit,
Tradat perennes, & pias
Amoris æterni faces.
Nil dulcius uita hæc habet,
Multis amara casibus:
Quàm caritatis coniuges
Si iungat arctum uinculum.

CASTITAS.

Probata castitas Deo,
Et ipse casta mens Deus:
Qui prima matrimonij
Casti ligauit uincula.
Puella quid uirum times?
Saluo pudore coniugem
Ames: honestis ignibus
Adest Deus, fauet Deus.
Idem Deus qui iam tibi
Iustina Alexium dedit,
Det mille casta millies
Thori feracis gaudia.
Nil fœmina illa, nil uiro
Beatius, quàm casta mens
Et una mens, si uinculo

Duos eodem copulet.

CONCORDIA.

Cœli soliq; machinam
Tenet & regit concordia:
Hoc tolle nexus uinculum
Cœlum ruet, ruet solum.
Quid esse coniuges potest
Inter, suaue aut prosperum,
Si pectora insolubilis
Non uinciat concordia?
Quod nũc Alexi, quod genus
Iustina uitæ suscipis,
Deus perennis symbolum
Hoc esse uult concordiæ.
Deus fauet pijs, Deus
Idem fauet concordibus
Pietatis & concordiæ
Qui regit habenis omnia.

HIERONYMO BVCHNERO, & Annæ Riuiæ.

BOnis sati parentibus,
Pio ligati fœdere,
Sitis pares maioribus,
Vitam probatam ducite.
Si gratiam seruat thorus
Concordiamq; mutuus:
Nil gratia iucundius,
Concordia nil firmius.
Tu sponse sis Ieromides,
Cultor pudice coniugis:

Tu sponsa sis Abigail,
Cultrix mariti fœderis.
Vt Abrahami filio,
Vt Raguelis filiæ,
Cedant Dei clementia
Optata uobis omnia.
Is spiritus sacri face,
In nuptijs præluceat,
Vt ore, lingua, pectore
Deum colatis unicè.
Sperata tum quæ proferet,
Thorus pudicus pignora,
Deum timentes, per pia
Patrum ambulent uestigia.

GEORGIO LOCVSTAE ET Susannæ Riuiæ.

Gen. III. In sudore uultus tui uescêris pane tuo.

Labor labore uincitur,
Sudore sudor tollitur,
Si quis laborat in Dei,
Sudatq; iussus nomine.
Non segnis aut iners tuum
Munus Georgi tollerat:
Nam pro laboribus Deus
Sua bona uendit omnia.
Hic actiones totius
Vitæ secundabit tibi,
Et te fouebit ac tuos
Animo paterno liberos.

Prouerb. xxxi. Mulier fortis panem ociosa non comedit.

Matrona fortis ac pia
Lanæ studet, tractat colum,
Nec ociosa liberos
Corrumpit indulgentia.
Laboriosaq; illius
Maritus augetur manus
Cordiq; charæ cor suum
Curis solutus applicat.
Susanna solamen uiri,
Sexus & exemplum tui,
Domus labores sustine,
Labor tibi dos patrius.

IOHANNI CHENTMANO MEDICO, & Magdalenæ Sporeræ.

Connubiũ sanxit Deus,
Cõnubiũ probat Deus:
Hic dux tibi est & conditor,
Virgo sequendus & puer.
Ite hinc proterua pectora,
Iniqua sancto uinculo:
„ Legem Dei, mentem Dei
„ Impunè nemo spreuerit.
Cubile castum coniugis
Fugisset Abram si suæ,
Spes concidisset omnibus
Ferens salutem gentibus.
Quin ipse filius Dei,

Data marito, uirgine
Sic conditoris ordinem
Firmans parentis, nascitur.
Ideo Iohannes nos tuis
Tædis precamur optima:
Nos & puella gaudijs
Tuis fauorem numinis.
Honos habendus integro
Perennis est connubio:
,, Tali Deus quem diligit,
,, Clemens honorat munere.
Tu sponse nacte quã petis,
Tu sponsa nacta quem cupis,
Grates benigno soluite,
Et corde & ore numini.
,, Nil triste & asperã thorus
Sentit piorum coniugum,
Bonisq; cunctas mitigat
Præsens Deus molestias.

IOHANNI BRAMBACCHO MEdico, & Marthæ Sporeræ.

TErram, profundum, sidera
Consors alit concordia:
Magalibus, regnis, casis
Pax lauta præstat gaudia.
Fides domos, amor thoros,
Vtrosq; numinis metus,
Integritasq;, nubilo
Seruat fouentq; tempore.
Ergo Enna quot coloribus,

Quot

Quot Hybla ridet floribus:
Brambacche tot tibi precor
Sporera tot tibi, bona.
Vobis iugali pronubus
Præluceat tæda Angelus:
Qualem Rebeccæ dedito
Olim marito prætulit.
Dein potentis protegat
Virtus & aura numinis,
Vt absq; labe & crimine
Sit ueſter ardor ac thorus.

SIMONI ROSTIO, ET MARgarithæ Thurleræ

ADeſte dulces Angeli
Portate amoris uincula,
Viro puella iungitur
Iam Margarita Roſtio.
Quidquid doloris aut mali,
Amplexibus procul pijs
Abſit, iugalem candida
Thorum ambiat concordia.
Qui ueſtra iunxit pectora,
Deum timete: qui uirum
Creauit atq; fœminam,
Sanctos tuetur coniuges.
En ſponſe quod cupis, capis
Thori pudici gaudia,
Optata das, & accipis
Miſcesq; uerbis oſcula.
Veſtrã Deus Beans domum,

Det pulchra amoris pignora,
Quæ lacte cum primo statim
Docete Christum noscere.
Tu sponse florens uiribus,
Annos adimple Nestoris:
Tu sponsa florens liberis,
Cumæa uince secula.

IOHANNI VVIDEMANO ET Cordulæ Thurleræ.

TV faue castis bone Christe tædis,
Tuq; ades sacri thalami iugator,
Qui pares annis bene cordibusq;
Iungis amantes.
Fraxinus montes decorat, suæq;
Fama Iohannes & honor puellæ,
Littori myrtus decus est, suoq;
Cordula sponso.
Este felices: anus hæc marito,
Nec senex sponsæ uideatur ille,
Hæc licet canis Hecuben, & ille
Nestora uincat.

VALERIO CRACOVIO ET Mariæ Thurleræ.

NArcissum iuuenes carpite feruidi,
Pallentes uiolas nectite uirgines,
Omnis ueris honor uersicoloribus
Sertis tempora uinciat.
Verno Cracouius floridior solo,
Et Thurlera rosis candidior nouis:

Æquales

Aequales ineunt corporibus lares,
Aequales animis thoros.
Præstans ingenio, pectore, litteris,
Non linquas Valeri dissimiles tibi
Natos, qui patriam moribus augeant
Famam, qui studijs decus.
Annis & facie nobilis, & fide
Sis felix Maria, mater & impigra:
Et natas numeres non tibi dispares
Forma, moribus, indole.

BENNONI CLETICIO CONsulari, & Annæ Schultetæ.

SIRACIDES CAP. XV.

Sententia.

Timenti Dominum Sapientia tanquam præclara mater occurrit, & ut sponsa uirgo ipsum amplectitur.

VT mater occursu exilit
Desiderati filij:
Deum timenti, filius
Sic tendit obuiam Dei.
Vt uirgo sponsi dulcibus
Hæret puella brachijs:
Deum colentem filius
Sic stringit amplexu Dei.
Ergo uerendus est Deus,
Dei audiendus filius,
Vt cœlica influat pijs
Lux ueritasq; mentibus.
Amans Deum & uerbum Dei

Bennio,

Benno, bonum à Deo bonam.
Promissa uitæ gaudia
Ducit domum iam coniugem.

SALOMON CAP. XXXI.
Sent. XXI.

Fallax gratia, uana pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.

" VT flatus auræ mobilis
" Vna ter hora uertitur:
Sic corporum fallacius
Nil gratia est mortalium.
Vt prato in herbido roseæ
Fugax amœnæ candor est:
Sic aureum formæ decus
Morbo uel annis deperit.
At fœmina obseruans Dei,
Claro uigebit nomine:
Laus eius & per secula
Æterna prædicabitur.
Et gratiæ & formæ bono
Excellit Anna: sed Dei est
Timore gratiosior,
Et castitate pulchrior.

FRIDERICO NORMIGERO Musico, & Barbaræ Schultetæ.

SIRACIDES CAP. XXVI.
Sent. XXVI.

Vigorem

Vigorem ætatis tuæ conserua integrum: soboles tua superstes & ingenua ualide adolescat.

TVmet corymbo plantula,
Mox inde dependet calyx,
Flos donec erumpat, noua
Latè coma spectabilis,
Odore suauis, gratia
Iucundus, aspectu bonus,
Fructu utilis, sese suo
Augens deinceps semine.
Ætatis idem cùm uigor,
Acuiq; sanguis integer,
Pudore seruandus sacro est
Modestiaq; sobrietas
Donec pudicos ad thorum
Vocat maritalem Deus,
Iubetq; coniuges frui
Optato amorum fœdere.
Te Normiger Deus pia
Pium beauit coniuge:
Quam si piè dilexeris
Tua ipse amabis uiscera.
Ambobus ad sit uentilans
Ignes iugales Spiritus
Dei: bonis & asperis
Par ferte gaudium ac iugum.

SIRACIDES CAP. XXVI.
Sent. XXI.

Vt sol

Vt sol mundo oriens de Dei altissimis, ita mulieris bonæ pulchritudo in ornatu domus ipsius.

οἰκολάμπας

Omnem suo sol lumine
Certo recurrens ambitu
Illustrat orbem, uersaq́;
Mœrore, gaudio afficit
Pallens, coruscus pectora:
Nulli molestus, omnibus
Acceptus, alti prodiens
Excelsa ab aula principis.
Virtus honestæ coniugis,
Menti uiri consentiens,
Fax est cubilis, & domus
Lumen, tenebras dissipans
Aduersitatum, lætaq́;
Ornans fauore tempora,
Leuansq́; acerba: quæ datur
Dei benigni munere.
Schulteta qualis in tuum
Venusta uirgo & elegans,
Est à pijs parentibus,
Deducta Normiger thorum.
Ambo Deum ueremini,
Sancta fide, iusta prece:
Abnutat ille nil suis
Rogatus atq; creditus.

GREGORIO BITIO ET VRsulæ Maderæ.

FIDES.

FIDES.

Fide Deum, fide uirum
Colit puella traditum:
Deum fide, datam fide
Colit maritus coniugem.
An Abrahæ non est comes
Sara exul exuli uiro?
An Rachelim non plus sua
Iacobus anima diligit?

OBEDIENTIA.

Coniunx obediens uiro
Pacem eius in suas trahit
Leges: uir æquus coniugis
Mentem uicissim subijcit.
Flexit ferocis obsequens
Atossa Persæ spiritum:
Largus Boozus & nurum
Deuincijt Noemidis.

INVOCATIO.

" Cœlum patet fidelibus
" Deum inuocantum uocibus:
Inclinat aurem ad supplices
Alti gubernator preces.
Sit auspicatum Gregorij
Tibi Vrsulæ connubium:
Vestrum thorum pax ambiat,
Et sepiat concordia.

IOACHIMO CRANEVELDIO ET
Dorotheæ Maderæ.

AMOR

AMOR VERECVNDVS.

Cvm foret è terræ massa productus Adamus,
Primus amor Domini, coniugis alter erat,
Dignius in cœlis quidquam est quod ametur? in ipsis
Suauius aut terris, quàm socialis amor?
Quo coniuncta duo sunt corpora, mentibus unum,
Vnum quiq; Deum simplicitate colunt.
Tu duplici Ioachime mihi laudandus amore,
Nanq; Dei hinc donum diligis, inde Deum.

SOCIETAS CASTA.

Cætera cùm Domini fierent animalia uerbo,
Cœlesti dextra conditur unus homo.
Vnus homo erecto spectabat sidera uultu,
Pulchra Dei ut Dominum cernat imago suum.
Additur huic uitæ consors: sit postera turba
Surgeret in cœli multiplicata decus.
Dorothea è uestris thalamis Ecclesia crescens,
Munifico reddat munera multa Deo.

ADAMO SIBERO POETAE
& Annæ Fusiæ.

PIETAS.

Bono, erudito, nobili
Vati Sibero, Fusiæ
Pudens, honesta, affabilis
Tæda thoroq; iungitur.
Quidquid probatis ac bonis
Boni rogatur à Deo,
Id omne uestros in thoros
Tædasq; mitis conferat.
Si uestra Iosephi haud minor

Integrio

Integritate ſanctitas,
Et Aſnathæ ſit clarior
Domi ac foris felicitas.

VERECVNDIA.

Viſo Rebecca Abramida
Obnubit ora pallio:
Mentis uerecundæ pudor
In uirgine eſt dos maxima.
Titan uelut mundum ſuo
Illuſtrat omnem lumine:
Fulgore ſic uxor pari
Domum ſerenat coniugis.
Tibi Anna mores candidi,
Et forma digna moribus,
Moratus & pius tuis
In brachijs uir excubat.

PATIENTIA.

Vires Deus ni ſedulis
Det mentis atq; corporis,
Durum eſt per omne maximo
Aeuum labori incumbere.
Laban ſororis filio,
Suæq; filiæ uiro,
Mercedem auarus denegat,
Quam millies reddit Deus.
Adame perfer à Deo
Iamiam panatum præmium
Coniunx pudica, in aſperis
Quies, leuamen, gaudium.

CHRISTOPHORO SCHELlenbergio, & Annæ Siberæ.

ADAE CREATIO.

CVm pulcher orbis, claraq́;
Fulsere cœli lumina:
Pontusq́; piscem, & alites
Ferusq́; terra protulit:
Illud theatrum splendidum,
Non absq; spectatoribus
Rerum sinebat conditor.
Lutum rubens & ductile
Verbo moueri, Spiritu
Motum adiuuans, dat uiuere.
Adam uigebat florida
Pulcher iuuenta, conditi
Regnator orbis, & suo
Seruire non segnis Deo.

EVAE CREATIO.

Adam iuuat nil diuitis
Horti tenere copiam,
Vrsoq́; turpi, uel fero
Nomen leoni ponere:
Carere uernantem uirum,
Mens conditoris prouida,
Consorte uitæ noluit,
E' dormientis corpore
Costam serenus, dat candidæ

Formamq́;

Formamq́; & ora uirginis,
Adæq́; monstrat, quem nouum
Pertentat intus gaudium:
Hæc illa, ait, pars est mei,
Eritq́; semper corporis.

ADAE ET EVAE COpulatio.

Viro maritam pronubus
Deducit ipse conditor,
Verboq́; iungit, cordaq́;
Amore uiuo suscitat.
Dextra Dei, uerbo Dei,
Dei sacratum Flamine,
Nemo rescindat uinculum.

Augete mundum, crescite,
Et possidete quidquid est,
Tellus quod ampla continet.
De stirpe uestra & sanguine,
Ecclesiæ surgat decus,
Vt turba sit, quæ me suum
Norit, celebret principem.

SPONSI SPONSAE'QVE celebritas.

Vatis Siberi filia
Vati datur Schelnbergio,
Viro pio coniunx pia,
Doctoq́; docta fœmina.
Lauri uirentes, palmaq́;
Amborum Idumæa induet

Deo dicata tempora.
Quidquid ſuum per Filium
Plaudente ſacro Flamine
Promiſit almus Conditor,
Id omne uobis largiter,
Victum, larem, concordiam,
Et obſequentes liberos,
Vultu offerat proniſſimo.

IACOBO STRASBVRGO ET Magdalenæ Blaſebalgæ.

PSAL. CXII.

Beatus uir, qui timet Dominum; opes & diuitiæ in domo eius.

IVgalibus qui uinculis
Se non ueretur ſubdere,
Is ueritati ſe DEI
Facto fatetur credere.
Nam cui marita, liberi,
Domus, miniſtri, ancillulæ,
Huic cura alendi multiplex
Et educandi imponitur.
Cui præter hæc, eſt publicæ
Tractanda res, & traditus
Labor docendi cæteros:
Curis tenetur maximis.
Hæc ſcire nec ſubducere
Segnem ſibi ſe & proximo,
Et pronubum ſequi Deum,

Credentis

Credentis est opus uiri.
Iacobus hac spe coniugem
Te Magdalenam deligens,
Promissa clementissimi
Dei rata esse intelliget.
Et in bonos, quos erudit
Parentis affectum domo
Feret, suisq; dulcibus
Gaudebit olim in filijs.
Non sumptus illi deerit
Frugalis unquam, non opes
Sudore partæ, aut ullius
Rei expetendæ copia.
Sin tristius quid accidet,
Alta renitetur fide,
Fortiq; tollerantia
Pendebit à uultu Dei.
Adiutus autem numinis
Ope, in domo, inq; Ecclesia,
Canet Deo, promissaq;
Cœlestia emirabitur.
Parens amoris, in tuo
Qui diligis nos Filio,
Et Igne sacro, pectus &
Carnem rebellem suscita:
Constantis, & recti, & pij
Faces amoris suggere
Seruaq;, Iacobo meo
Et Magdalenæ coniugi.
Sit longè ab illorum thoro

Malum omne, defensore te:
» Non turbet ardentes preces
» Ignaua diffidentia.

MICHAELI SCHVLTHESIO & Vrsulæ Strasburgæ. NVMMVS LVSITANVS.

GEORGIVS FABRICIVS P.

VIr culte doctis artibus,
Hæc patre dante parua
Appono iussus munera.
Hic nummus auro purus est:
Puram fidem connubij
Præcelsus ornat conditor.
Signum refert imaginem
Crucis: nec expers est crucis
Vitæ hoc genus castissimum.
Illa ipsa crux læto tamen
» Est fixa cesbite: in cruce
» Deus pijs est gaudium.
Circum suaues flosculi
Funduntur: ingens fructus est
Crucis, coruscans gloria.
Sis sponse felix, fer tua
Crucem domo, crucem schola:
Vinces in hoc signo omnia.
Sit illa felix, florida
Aetas, benigni quam doces
Fauore Vuicelebij.
Heroa nobis optimum

Seruus

Serues IESV, qui sacrum
Ecclesiæ nutrit gregem.

NVMMVS ROMANVS.

IACOBVS FABRICIVS S.

Virgo decora moribus
Castis pusilla ne mei
Hæc dona patris despice.
Vt uerus argenti nitet
Color fidelis, sic nihil
Adulterinum amor probat.
Ipse est amo[illegible]deus, faces
Qui mentibus mo[illegible]dium
Sereni amoris indidit.
Hunc ille, sicut ignibus,
Plerunq; perpurgat cruce,
Fulgentioremq; efficit.
Beata causa es duplici
Puella, quòd talem à DEO
Fratrem ac maritum nacta sis.
Frater docet pulcherrimas
Artes, & inter candidos
Vates Elistri ocellus est.
Maritus instruit rudes
Annos ad Vnstrum, patriæ
Non degener partus suæ.
Nobis uiros hos optimos
Serues IESV, qui bonis
Formant tenellos moribus.

SEBALDO ET DOrotheæ.

SPONSO.

INgredere optatæ placidiſſima limina nymphæ,
Indulgeq; nouis docte Sebalde thoris.
Sunt oblata tibi bona plurima: ſi bona coniunx
A Domino eſt, coniunx Dorothea à Domino eſt.

SPONSAE.

Tu quoq; nympha tuum complectere pulchra Sebaldum:
Eſt aliquid culto, crede, placere uiro.
Ipſe uir uxoris caput eſt, uxorq; mariti
Dulce decus, ſi quos par modò uinxit amor.

IOANNI ET ANNAE. POEnalibidinis uagæ.

AMOS VI.

Auferetur factio laſciuientium.

ARdens inemendabili
VRbs Seboïs libidine
Punita cœlitùs, ſacro
Mox arſit igne ſulphurin:
Nec non procaces Gabaæ
Ciues, cruore inſaniam
Luunt, malaq; turpiter
Intercidunt cum patria.
Impunis ergo nullus eſt
Impiorum amori deditus

Odit

Odit Deus turpes, boni
Odêre lasciuos uiri.

PRAEMIA PVDICI CONIVGII.
Ad Heb. XIII.
Honorabile inter omnes coniugium.

Virum & puellam propria
Deuinciit Deus manu,
Magnis & ornat laudibus
Et præmijs connubium.
Nam fructibus thori, replet
Terræ solum: cœli domum,
Bonisq; seruat & pijs
In posteris Ecclesiam.
Honore dignus est apud
Viros honestos lectulus,
In quo cubant concordibus
Vir & puella gaudijs.

VALENTINO SCHEI-
no & Sabinæ Geisæ.

Vestro Deus connubio
Adsit Valentine, & tuis
Liget Sabinæ pectora
Ex intimo præcordijs.
Nil triste uobis accidat,
Tuto manentibus lare:
In Christianorum potest
Nil tartari furor thoros.

Vere beatus, qui domi
Suaui tenetur uinculo,
Suosq; natos moribus
Adhuc rudes format bonis.
Bono Valentine alite
Ipſam Sabinam amplecteret
Nec non Valentinum, pio
Ama Sabina pectore.

CALIXTO SHEINO IVRIS consulto, & Odiliæ Heidæ.

Spectato ſiderum decus
Solem, potentis luminis,
Ex ſe creat quod omnia,
Aequale ſed nihil ſibi.
Multo genus præſtantius
Homo ſagacis pectoris,
Qui mente prolem præditam
Gignit caduco ſemine.
Hoc auctor ille maximus
Terræ potens & ætheris.
Primo quod ortu prodijt,
Potentia uerbi efficit.
Viuas marite coniugi,
Coniunx marito dedita,
Vt creſcat humanum genus
Vagi abſq; amoris crimine.

SEBASTI-

SEBASTIANO STARCKIO, & Annæ Ernestæ.

TOBIAS, TOBIAE FILIUS, orans.

O Domine atq; Deus nostrorum sancte parens,
Collaudent nomen cuncta creata tuũ. (tum
Cœlum, terra, fretum, fontes & flumina: & in se
Hæc ingens mundi machina quidquid habet.
Pulcre de terræ tu primùm fingis Adamum,
Consortemq; Euam iungis habere thori.
Nec Deus ô, brutos stimulante libidine sensus,
Coniugium Saræ feruidus opto meæ:
Sed me sola tenet spes dulcis prolis, ut olim
Te laudent nati secula cuncta mei.

SARA, RAGVELIS filia, orans.

O miserere Deus, Deus ô miserere precantum,
Quo noster uigeat conciliante thorus.
Sit felix, mihi quem iungis, meus ille Tobias,
Nilq; habeat Sara carius ipse sua.
Iungimur utq; annis pariter iuuenilibus ambo,
Sic ambos pariter cana senecta premat.
Vnica cura sumus miserorum sancte parentum,
Salua sit auspicio uita domusq; tuo:
Vt nos, nostraq; te celebret, tibi dedita proles,
Et nomen merito tollat honore tuum.

VVOLFGANGO EILENBVRgio, & Margarithæ Othobachiæ.

Inter

INtegram uitæ sceleriq; puram
Coniugem donat Deus, & maritis
Hanc Ophyræo preciosiorem
Iudicat auro.
Inscium culpæ, placidumq; morum
Dat uirum castæ Deus, uxor illum
Credit Eois quoq; pulchriorem
Esse lapillis
Casta Vuolfgango modò Margaritha
Iungitur, castis bona uerba tædis,
Et sonum cantus ferat auspicati
Turba sodalis.
Sit domus florens, sine lite lectus,
Mutuus candor, parilis uoluntas,
Tristibus rebus pia mens, uicissim
Grata secundis.
Ter quater felix Dominum timendo,
Qui uias carpit sine fraude rectas,
Quiq; alit duro manuum suosq;
Seq; labore.
Illius sicut speciosa uitis,
Singulis uxor reuirescit annis,
Ludit obsessam quoq; turba circum
Plurima mensam.

HENRICO BERO, ET Catharinæ Fritiæ.

SERTVM SPONSI.

CAtharina iunge immarcidos
Morum bonorum flosculos

Sponso

Sponso corollam: quam tua
Nexam manu, datam manu
Ostentet omni tempore.
Sit circulus timor Dei,
Pudor uenustus tænia,
Fili color, porracinus
Ianthinusq; mutuæ
Coniunctionis indices.

MONILE SPONSAE.

Henrice prome gemmeum
Virtutis intactæ decus
Sponsæ monile, quod sinus
Collo q; detractum tuo
Gestet perenni uinculo.
Micet per ambitum fides
Aurata: flammeusq; amor,
Fulgor smaragdi, tortili
Lucens metallo, floridam
Signet thori concordiam.

GEOR.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS CARMINUM LIBER SECUNDUS.

DOMINO VILHELMO PRINCIPI Oraniæ, & DOMINAE ANNAE, MAVRICIJ Saxonię Electoris filiæ.

PRINCEPS Vilhelme, nobili
De gente Nassaeusium,
Sanguis Adolphi Cæsaris:
Sanguis potentum principum,
Olim ducum Geldrensium:
A' stirpe cuius plurimi
Fama per omnem splendida
Fulsere Martij duces.
DVX ANNA, nata Saxonum
Fortißimorum sanguine,
A' matre quitum quæ domo
Ortum trabis Brabantia:
Tu Maurici bona filia
Proneptis Alberti ducis:
Qui pallor hostium, & duo
Belli fuerunt fulmina.
Vos coniuges iungit Deus,
Et uestra spectat gaudia:
Quæ patriæ, quæ cæteris
Sint auspicata gentibus:
De stirpe uestra prodeant

Nati,

Nati, parentum qui decus
Et facta iustis inclita
Adaugeant honoribus.

IISDEM.

Cæsarea iuuenis de stirpe creatus Adolphi,
Armorum atq; togæ clare Vilhelme decus:
Annaq; Saxoniæ celeberrima gloria gentis,
Inclita Victoris filia Mauricij.
Coniugio uestro Rhenus gratantur & Albis:
Vnanimes factæ Rhenus & Albis aquæ.
Tu priscos superes atauos uirtute Vilhelme,
Matre pudicicia sis prior Anna tua.
Gaudia sint uobis, populis sint prospera uestris,
Sentiat & concors prospera fata thorus.

PAVLO VOGELIO IVRE consulto, & Magdalenæ Neuiæ.

Contra Alexin & Philemonem comicos, pro fœminis.

Mauult poeta Thurius
Infamis esse, quàm iugum
Captus subire uxorium:
Nam pauperi uxor est onus,
Domi serens calumniam:
Et diuiti molestia,
Monstrans foris superbiam.
Infamis es, qui sexui
Formosiori & blandulo,
Et contumeliam facis
Matri tuæ, quæ mensum

Decem

Decem labores perdidit,
Dum candidum præbet leui
Conuiciatori diem.
Infamis es, domesticos
Et coniugales qui deos
Socco lacessis impio:
Quorum educatus in foco,
Gestatus inq; brachijs,
Et altus ubere ac sinu,
Pimplæa scandisti iuga.
Nugatur esse maximum
Malum Philemon coniugem,
Quam nemo sanus duxerit
Vnquam absq; pœnitudine.
Facti sui quem pœnitet,
Aut impudens aut improbus,
Quid perpetret, non cogitat.
Nugator es, qui iudicas
Malum, quod ipsa conditrix
Natura, quodq; gentium
Mores uiritim comprobant:
Nec est malum, quod adimat
Nos in malo: & si sit malum,
Virtute corrigi potest.
Nugator es, qui copulam
Malam putas, per quam genus
Producitur mortalium:
Ni sit malum, quòd te dedit
Mater theatris, Musici
Quæstus auarum, & dulcibus

Parcum

Parcum Camœnis hoſpitem.
At tu Vogele deditus
Honeſto amori & uinculo
Agis ſapisq; rectius.
Nam conſulens famæ tuæ
Partoq; pridem nomini,
Præſens honoras ſeculum,
In poſterosq; gratus es.
Tu cultus ingeni bonis,
Diſertus ore litteris
Politus, hoſpes Gallias,
Et regna uidiſti Itala.
Tu nunc in aula ſplendido
Fulges honore, patriæ
Sperata portans commoda.
Nomen mariti iam tibi
Continget, & dehinc patris
Vtrunq; dulce, optabile.
Viues tua cum coniuge
Longinqua felix tempora,
Amansq; patriæ decus,
Viues tuis in liberis.
Erit thori inclutum tui
Decus, uenuſta Magdalis:
De ſtirpe nata, quæ tulit
Et dignitate, & artibus
Viros celebres maximis.
Nam Neuiorum nomen eſt
Aſtro Orionis clarius.
Pater puellæ enim regit

Currum atq; habenas patriæ,
Quas eius olim gesserat,
Cum morte deponens, auus.
Honore frontis laureo,
Fide & Iohannes, arteq;
Cum fratre fulget Caspare.
Donis tuis, & uirginis
Tibi dicatæ moribus,
Affinitate talium
Felix uirorum, macte sis
Virtute, magno pectore.
Te nostra semper gaudeat
Viro utili res publica.

ANDREAE MYLIO, ET Margarithæ Rotermundæ.

IVngitur claro iuueni puella
Clara: spectatæ pietatis ambo,
Inq; flore æui melioris ambo,
Ambo solamen patriæ & suorum:
Ore facundo Mylius, uetustum
Exprimit lingua Latium expedita.
Ille amicus principibus fidelis,
Ille patronus studijs perennis,
Nominis fama Boreale littus
Implet, & septem meritis Triones.
Ore laudatus quoq; Margaritha
Gratia tincto superat Sabinas:
Sic manu lanam tenera elaborat,

Conui-

Coniugem ut regis ſuperet Pheræi,
Plus tamen uirtutis honore fulget,
Et uerecundi ſpecie decoris.
Angeli cingant comites, & adſint
Fauſtitas, concordia, pax, pudorq́;
Cunctaq́; optatis potiora clara
Iungitur claro iuueni puella.

TILEMANO STELLAE MAthematico, & Helenæ Rotermundæ.

NOn fortuitus eſt pius
Amor piorum coniugum,
Quos copulat iunctiſsimis
Cœleſte numen uinculis.
Abigaelis hoſpitæ
Ieſſæus incenſus fide:
Et Stella Cattus Saxoni
Exarſit hoſpes uirgine.
Se terra Stellæ, & æquora,
Ac ipſa debent ſidera,
Qui litteris & artibus
Montes celebrat patrios.
Ornat Rotermundam pudor,
Genus, uenuſtas & uigor:
Quæ compta non monilibus,
Sed aureis eſt moribus.
Dotate ſponſe nobili
Beatus es connubio:
Ditata ſponſa coniuge

Felix es optatißimo,
Axis quot ardet arduus
Stellis, uigetq; æstas rosis,
Sperata tot uobis sacri
Vota expleat Deus thori.

CHRISTIANO SAGITtario, & Catharinæ Zeuneræ.

MARITVS.

BOnus maritus est datæ
Custos paterq; coniugis,
Illamq; iudicat sui
Partem tenacem pectoris:
Non asperis conuicijs,
Sed mollibus sermonibus,
Connubiorum assuefacit
Parêre sanctis legibus.
Absens tenet, præsens colit,
Amica lecti fœdera,
Bonisq; natos erudit
Cum litteris, tum moribus.
Seu læta lux effulserit,
Iniqua seu fors presserit,
Non ille ponit coniugis
Curam pudicæ mutuam.

VXOR.

Vxor decoro sobriæ,
Quæ gloriatur nomine,
Colit Deum, colit uirum,

Natos

Natos alit, regit domum.
Spiras, monile, purpuram
Nihil moratur, aureum
Amat pudorem, gemmeam
Amplectitur modestiam.
Mores uiri putat sibi
Legem, uolens obtemperat,
Nouit tegitq; si qua sunt
Sui mariti crimina.
In tristibus solatium,
In prosperisq; gaudium,
Aduersa feri constantia,
Ornat secunda gratia.

AMBROSIO CLAVIGERO, ET Susannæ Stumpelæ.

IVngitur auspicio felici nupta marito,
Susanna Ambrosio Stumpela Clauigero.
Vxor nobilior gemmis, speciosior auro,
Quæ studiosa Dei, quæ studiosa uiri.
Vir quoq; diuitijs melior, robustior ære,
Quisquis amat nuptam fidus, amatq; Deum.
Illa suos longo numerabit in ordine natos,
Campano ueluti uitis adulta solo.
Hic bona felicis numerabit plurima uitæ,
Vt spolia infesto si quis ab hoste capit:
Sic uestri flagrent concordes semper amores,
Vt iunctæ spirant & rosa & ambrosia.

CASPARI EBERHARDO & Magdalenæ Creuceræ.

VIRTVS VIRORVM.

Paulus ad Ephes. v.

SIc bonus uxorem uera pietate maritus
Diligit, ut partem nouerit esse sui.
Vxorem nam quisquis amat, se diligit ipsum:
Se dominum uxoris, seq; scit esse patrem.
Non rigidi uultus, non sæui pectoris ira
Coniungunt animos, conciliantq; fidem:
Sed faciles mores, & blandæ gratia linguæ,
Sunt duraturæ uincula amiciciæ.

ORNATVS MVLIERVM.

Petrus 1. Pet. iii.

Non calamistratis incedere crinibus ornat
Vxorem, aut uaria ducere syrma stola.
Nec pictæ mitræ, nec torto circulus auro,
Nec tenerum claudens mollis aluta pedem.
Sed placidi mores, & criminis inscia uita,
In charumq; fides obsequiumq; uirum,
Hic quondam priscis ornatus in Heroinis,
Extulit illarum nobile ad astra decus.

BARTHOLOMAEO CLAmorino, & Vualpurgi Trœzeniæ.

QVi uos remotis in locis
Ignota iunxit pectora:
Is seruet uno nunc thoro

Optati

Optati amoris fœdera.
Vt Bathuelis filia
Tharæ nepoti iungitur:
Sic uos beato coniuges
Vinciminor connubio.
Sponso labores præcipit,
Sponsæ dolores præcinit:
Sed & labores adiuuat
Deus, & dolores mitigat.
Labor pijs solamen est,
Dolorũq; recreatio,
In hoc Deum qui sentiunt
Adesse præsentem statu.
Hic autor est connubij,
Tutor piorum coniugum,
Vereq; credentes sibi
Nullo relinquit tempore.
Vobis hic adsit, omnibus
Volens periclis liberet:
Nec uestra in eius unicum
Fides uacillet Filium.

IACOBO COLBINGERO, & Annæ Smidiæ.

IAcobus Annæ mutuam
Dedit connubij fidem;
Non sic beantur cæteri,
Queis nullus est timor Dei.
Quam firmat ipse conditor,

Quamq; extruit Deus domum
Vel sub leui tibicine,
Nullo mouetur turbine.
Firmat sed illam, quam sacrum
Per matrimonij iugum,
Pudore fulcit coniugis,
Fide mariti sustinet.
Absint ab hac molestiæ,
Lites, metus, iniuriæ:
Eius columnæ sint, amor
Deiq;, amorq; proximi.

IOHANNI HIPPOCRENIO, & Vrsulæ Stentiæ.

SEnex alumnus ut Sami,
Crotoniatis præcipit:
Sic nunc Iohannes supplicem
Vides ad aras Vrsulam.
Puella demisso preces
Fundit iugales lumine:
Quæ te patronum, te suæ
Curæ lenimen inuocat.
Hanc tu maritalis sacro
Dignare tecti limine,
Tuoq; deductam thoro
Longo sub amplexu foue.
Fausto guberna numine,
Fido tuere pectore,
Quæ te patronum, te suæ
Curæ lenimen inuocat.

Coniunx

Coniunx ad aram iungitur,
Coniunx ab ara ducitur:
Inspector ante aras Deus
Est ara confidentibus.
Fœdus sit illud prosperum,
Concors nouum sit iunculum:
Vt illa gaudeat pio
Viro, pia tu coniuge.

SEBASTIANO FROLICHIO, & Mariæ Harderiæ.

AMoris auctor est Deus,
Amoris, ipse quem mouet
Sui flabello numinis.
Quæq; ipse iungit, iuncta sunt,
Manentq; iuncta, Cæcia
Turbante nullo, pectora.
Pegnesus à Polnitio
Distat procul, sed limpidis
Iam confluunt amoribus.
Sebastiano sis fauens
Deus, tuæ prolixa des
Promissionis munera.
Clemens Mariæ sis Deus,
Noscatur inter ut bonas
Matres, celebri nomine.
Ditare res est (credite) ..
Deo expedita: qui pios ..
Gaudet beare pauperes.

IOHANNI TETELBACHIO
Theologo, & Susannæ
Faustæ.

AGVR.

Prouerb. xxx. Sent. ii.
Omnis sermo Dei perpurgatus, clypeus
in se fidentibus.

Quisquis Deum audit, is quoq;
Auditur à Deo: preces
Nec ille mittet irritas,
Vultum leuans ad æthera.
Quisquis Deum obseruat fide,
Seruatur à Deo; nec est
Vllum inuenire, quàm fidem,
Ancyle aheneum magis.
Deum roganti ostenditur,
Deum colenti traditur,
Commune uotum singulis
Susanna Tetelbachio.

LAMVEL.

Prouerb. xxxi. Sent. xiiii.
Vir mulieris fortis, clarus in populo est, cùm
assidet ipse terræ senio-
ribus.

Vxor bona, alti numinis
Donum est, nec illa ulli datur
Quem non amat Deus, cui
Non sanctus adsit Spiritus.
Est pulchra fortitudine,

Decens

Decens obædientia,
Modestia spectabilis,
Susanna Tetelbachij.
Cui talis uxor contigit,
Ab omnibus feret decus,
Interq; ciues patriæ
Primus sedebit nobiles.

ALEXIO HANIO, ET Annæ Faustæ.

VT in corona flosculi
Nectuntur omnes ordine,
Varij, salubres, nobiles
Colore, odore, germine:
Sic in puellæ moribus
Piæ, uerecundæ, probæ,
Fides, pudor, modestia
Pulchro implicantur uinculo.
Vt in catenis complices
Anelli adhærent inuicem,
Nec primus unde aut ultimus
Sumat uides originem:
Sic mens mariti, deditæ
Ardore uincta uirginis,
Inde usq; ab ultimo manet
Semper tenax exordio.
Annis, amore compares,
Compage uos Deus pari
Iungens, Alexi, det tui,
Sit Anna consensus thori.

Hæc

Hæc uota firma sint, Deus
Tuo fauore perfice,
Te sic honorent liberi
Vxorq; uirq; mentibus.

AEGIDIO MORCHIO IV-reconsulto, & Magdalenæ Suiciæ.

TVos amores Aegidi
Blandos, pudicos, ceros,
Non Aegis ulla uertat in
Toruos, proteruos, saxeos.
Vt diligit Christus piam
Aeterno amore Ecclesiam:
Sic curet ut corpus suum
Dulcem maritus coniugem.
Vt pendet à Christo piæ
Inuicta spes Ecclesiæ:
Sic à mariti brachijs
Amor fidesq; coniugis.
Hæc sancta pangens fœdera
Deus, probans hæc munera,
Labem tegit, prolem inserit
Suo tenellam cœtui.
Vestris hic adsit gaudijs,
Fauente prosper numine.
Nanq; esse præsens cui negat,
Est Lydus in meridie.

ABRAHAMO FVSIO, ET Annæ Hausmanæ.

Psal. CXII. Generationi rectorum benedicetur.

Felix Vlyßis lectus est
Propter pudorem coniugis:
Felix & Admeti thorus
Vxoris ob miram fidem.
Sed ille deamans anum
Tetendit arcum: næniam
Hic consecrauit mortuæ:
At Fusij recens mei
Felicior multo est thorus
In quo fides, in quo pudor
Florens & ætus uirginis,
Nec arma sunt aut næniæ.
Sit gaudiorum conditor
Abrame gaudijs tuis
Præsens, & illa singulis
Tibi diebus augeat.
In Fusij uiget domo
Doctrina, candor, sanctitas:
In patre quæ tuo omnibus
Et fratre clarent seculis.
Non illi opes malas suis
Liquêre, mundi somnia:
Sed plangit illum Ecclesia,
Et mœret hunc Respublica:

Sit

Sit ille ſupremi patris
Amor perennis, lectulo
Tuo Anna præſtò, nutriens
Amorem amoris fomite.
Hauſmana gens eſt nobilis
Virtute, dignitatibus,
Viroq;, cui unum noſtra uix
Parem tulére tempora.
Quantum eſt decus tibi ac tuis
Puella, transferri è pia
Domo in piam mox à Deo
Pios habere liberos?

LAVRENTIO STROBRO, & Annæ Neuberæ.

DEus ſuperbis hoſtis eſt,
Eſt hoſtis impuris Deus:
Nam mitis atq; caſta mens
Quod mite caſtumq; eſt, probat.
Obtemperans ergo Deo
Laurentius, ſuperbiæ
Se monſtrat hoſtem, ſe Dei
Verum eſſe cultorem ſui.
Et Anna flagrans ignibus
Dati mariti feruidis,
Laſciua uitæ gaudia
Sacro inſtituto reprobat.
Ergo pijs his coniugum
Adſis duorum uinculis:

Tu qui superbis hostis es,
Et hostis impuris Deus.

GABRIELI THOLAE ET Annæ Haniæ.

INclusus atro fulgidus
Velut pyropus emicat,
Accendit & noctis uagas
Claro tenebras lumine:
Vidisti in Adriatica
Qualem urbe, Thola quæ tua
Regina Brixiæ imperat:
Sic iuncta formæ uirginis
Lux enitet modestiæ,
Decusq; famamq; omnibus
Apponit actionibus:
Qualem Deus iunxit tuo,
In Albis urbe principe,
Amice Thola lectulo.
Est erudita uox mei,
Est artifex Tholæ manus,
Claris uiris, & inclito
Probata Saxonum ducit
Sed nulla uox, nullæ manus
Ei dicatæ uirginis
Laudem expriment modestiæ.
Nox stellis illa clarior
Futura, qua tu Gabriel
Tuum pyropum dulcibus

Tenebk

Tenebis Annam amplexibus.
Beata sint uobis diu,
Quæ cœpta sunt bono omine,
Boni cubilis gaudia.

IACOBI LOSII PLACENtini, & Margaritæ Tholæ Brixianæ.

Nil Musica festiuius,
Amore nil iucundius:
Delectat omnes Musica,
Amorq; frangit pectora.
Taurominensem cantibus
Sami senex emollijt,
Et Margaritha te suo
Losi lepore uincijt.
Tu Musicæ Losi decus,
Tuæq; laus Placentiæ,
Flores in aula Saxonum
Ducis, secundus neminis
Ornatq; te tuus socer
Palma Benedictus duplici,
Mutæ poesis artifex,
Princeps sonoræ Musicæ.
Vt conuenit chelys lyræ,
Sambuca Magidi, sonis
Claris remissi ut concinunt,
Modisq; Lydi Doricis:
Sic inter uos & mutua

Consen-

Consentiant concordia
Mentes, amores, & ioci,
Connubiorum uincula.

VVOLFGANGO LEOPOLdo, & Angelę Beiniæ.

ARANEA.

LAboris auctorem Deum
Illa artifex aranea,
Suis tenellis cassibus
Probat: tenebras ad nigras,
Seu solis ad facem aurei,
Cum de fenestra uel trabe
Operosa nectit retia.
Nil retia illa, nil labor
Prodest, nec ipsi aut alteri.
Laboris est autor Deus,
Hanc ante nobis lumina
Domi locans imaginem,
Nostri admonet nos muneris.
Non ille te Vuolfgange uult
Maritum inertem uiuere:
Non ille te uult Angela
Esse ociosam coniugem.

FORMICA.

Formica parua industriæ
Exemplar haud ignobilis,
Gaudere monstrat asperis
Ipsum Deum laboribus.
Terens frequentem semitam,

Frumenti aceruos extruit,
Tenuia saxis imprimens
Horrentibus uestigia:
Per integros feruens dies,
Vrgere pertinax onus,
Inuicta duris cedere,
Noctes serenas adijcit.
At impedita ab imbribus
Curat domi, uallum struit,
Orasq; rodens stirpium
Spem messis aufert noxiæ.
Sibi laborans, & suis
Parcens auara paruulis,
Matrem bonam, atque heram domus
Vigili instruit solertia.
Sic & tuis usq; Angela
Formica sis in ædibus,
Studio augeas ut patrias,
Cura maritales opes.

APIS.

Labore Apis res efficit
Miraculosa maximas,
Et signa prouidentiæ
Dei exhibet mortalibus,
Centro, pietate, uiribus,
Operosa, casta, sedula,
Coercet, odit, corrigit
Furtum, libidinem, ocium.
Regi fidelis obsequi,

Senire & optimatibus,
Inuicta alacris perficit
Omni absque lite munera.
Nullo loco, nullo datum
Opus remittit tempore,
Annis fouet, paruas alit,
Suis & æquales iuuat.
Nec utilis soli sibi
Est, aut suis Quiritibus:
Eius fruuntur dulcibus
Homines, Dij, laboribus,
Volfgange sis scholæ tuæ,
Et patriæ nunc alteri
Apis, bonorum proferens
Morumq; & artium bonam
In secla longa copiam.

PETRO GLASERO, & Saræ Olsneræ.

PRÆCEPTA CONNVBIALIA è Phocylide.

NE maneas cœlebs, sed debita munera redde
Naturæ, claudas ne triste inglorius æuum.
Nam uelut es genitus, generis quoque semina serua,
Dilige iucundam sociam uitæq; thoriq;.
Namque quid est melius, uel uita suauius omni,
Quàm si sponte uiro prudens obtemperat uxor,
Vxoremq; colit placidus sine lite maritus?
Connubio ne iunge malam: quia nulla uoluptas,

Vxori ob magnæ famulari præmia dotis:
Magnanimos inquiris equos, catulumq; ferocem,
Et ceruice alte gestantes cornua tauros,
Vxoris nulla est aut ultima cura pudicæ.
Nubere nulla uiro credit sibi fœmina turpe,
Dummodò sit diues nummorum, diues & agri.

DE EDVCATIONE LIBERORUM. Ex eodem.

In genitos ne sit facies truculenta parentum,
Sed miti tristis grauitas condita lepore.
Peccantem natum monitis obiurget amicis
Mater: si dictis eius non commodet aurem,
A senibus, tota uel castigetur ab urbe.
Nec calamistrati pueri sint fronte capilli,
Vertice néue maris sinuosos necte corymbos.
Forma uiros neglecta decet, sed culta puellas.
Custodi teneros pueri non segniter annos,
Virginis & serua bene clausis limina portis:
Nec patere ante domum det se prius ipsa uidendam,
Quàm petat optati uenerãda cubilia sponsi.
Non leuis est faciem laudatam cura tueri.

IOHANNI GLYCIO ET Catharinæ Misneræ.

Siracides cap. XXVI. Sent. I.

Vir bonæ mulieris, beatus est: numerus annorum eius duplicabitur.

ILle ter felix, quater & beatus,
Cui thori consors, socia actionum,

Moribus

Moribus pulchris æstar, & pudoris
Laude uenusta.
Ille non ullo minuetur æuo,
Sed suæ ætatis duplicabit annos,
Atque fortunam feret irretortus
Semper utramque.
Sit tibi talis Catharina coniunx,
Cuius in dulci gremio quiescens,
Senties incommoda nulla morum,
Nulla laborum,

Siracides cap. XXVI. Sent. II.

Mulier industria oblectat uirum suum, & annos eius cum pace traducit.

Vxor optati columen mariti,
Tristis oblectatio blanda uitæ.
Quæ colit, nulli temeranda, sacræ
Fœdera tædæ.
Vxor extendit iuuenile tempus,
Temperat quo suis animi dolores,
Quæ domum curat, domus omnis & quam
Sancta ueretur.
Mente Iohanni placitura tali,
Non tibi aut illi deerit leuamen,
Non amor uestro est fugiturus ullo
Tempore lecto.

ANDREAE ALENPECIO
& Annæ Smidiæ.

VEstris adest præsens Deus
Andrea & Anna gaudijs,
Qui charitatis mutuo
Vos copulauit uinculo.
Vestris erit præsens Deus
In posterum complexibus,
Discordia si mutuum
Non ruperitis uinculum.
Libido Spartam perdidit,
Libido Troiam diruit:
Nihil proteruum aut impium
Deus tuetur & iuuat.
Atqui connubialibus,
Quos ipse sancijt, thoris
Adest, suoq; coniuges
Pios respectat numine.
Opus Dei nunc noscite,
Opem Dei nunc poscite.
Pax, gaudium, concordia
Coniuncta firmet pectora.
Sic sic uidebitis thori
Iucunda uestri pignora:
Sic sic nitebunt aureæ
Andreæ & Annæ tempora.

IACOBO SCHADIO MEdico, & Vrsulæ Keilhameræ.

VIro erudito, in ardua
Arte, & polito moribus

Puella

Puella blanda & elegans
Forma ac pudore, numinis
Pace & fauore traditur.
Arridet illis gaudijs
Cœli ſerenum, quæ Deus
Permiſit auctor, quæ Deo
Volente melle plena ſunt,
Et felle fœcundiſſima.
Sed fellis id quod incidit
Tenax fides, & tollerans
Pectus piorum mitigat:
Et mella læſis ſæpe ſunt
Iucundiora ſenſibus.
Vt turtur & ciconia
Prolem, parentes, comparem,
Miris amant affectibus:
Sic ueſtra creſcat in dies
Fides amica ſingulos.
Vt uitis ulmum brachijs,
Smilax, & helcine, atq; helix,
Sæpesq; murosq; implicant:
Sic uſq; & uſq; amplexibus
Ludatis in concordibus.
Vt maltha iungit marmora,
Vt colla ſaxa: glutinum
Sic gratiæ ferruminet,
Et te Iacobum Schadium
Et te Vrſulam Keilhamoram.

NICOLAO KEILHAMERO
& Mariæ Crucigeræ.

VITIS.

Vitis tua orta nobili
Bonæ arboris de palmite,
Nunquam carebit fertili
Propaginis dulcedine.
Vallabit illa floridis
Mense decorem pampinis,
Implebit illa pinguibus
Mustis profundas serias.
Hanc ipse manuat carpere,
Et annuatim condere,
Monstrator, auctor, conditor
Deus feracis uineæ.

LABRVSCA.

Labrusca cœlebs, horrida,
Claustris inaccessa inuijs,
Deo repugnat, impijs
Damnata uoti legibus.
Pulchram ligans Keilhamere
Crucigeram complexibus,
Puras benignum creditæ
Deum fouere flammulas.
Quem sentit innocens adhuc
Adamus omnis criminis,
" Non est amor Dei prior,
" Antiquiorue coniugis.

AV.

AVGVSTO HERCEBER-
gio, & Magdalenæ
Mutiæ.

FICVS.

Fœcunda ficus, fructibus
Est nota de dulcissimis:
Suæ arbori pulchrum decus,
Suoq; cultori cibus,
Aluo bona & pulmonibus
Lactente ruma carpitur.
Connubij fructus quoque
Ferax, salubris, melleus,
Ornat domos, & ciuibus
Replet bonis rempublicam.
Auguste posteri tui
Bene educati, moribus
Et literis, olim tuam
Honore tollant patriam.

MARVSCA.

Marusca in agris degener,
Horrens, inersq; nascitur
Tantum focis & ignibus.
Ludit uiatoris famem,
Fallit coloni gratiam.
Sic qui colunt recessibus
Sartaginem ollamq; abditis,
Nigro & cucullis horridi:
Vetant thoros, uitant domos,

Hostes Dei, hostes publici.
Tu Magdalena coniugem
Colens, & edens liberos:
Simul colis Deum, simul
Locupletas prosapiam.

IOANNI ROSIANO ET Rosinę Heuslerę.

ROSAE.

NIhil roseto pulchrius,
In quo rubrę cum candidis,
Cum Tusculis Alabandicę
Miscentur inuicem rosę.
Quas aura missa à uespere,
Vento feraci cùm fouet,
Spirans per hortos & nemus,
Odor suauis funditur.
Nunc cum rosis iunctę rosę
Vno seruntur hortulo,
Hærentq; candidis rubrę
Vno locatę lectulo.
Quàm nunc Rosianus optime
Suę Rosinę conuenit,
Amore iuncta nomina,
Et iuncta fatis pectora.
Rosis coronemus caput,
Quîs flos caducus & breuis:
Nostri simul fugacia
Aeui putemus tempora.

Spa-

Spargamus in templo roſas,
Læto ſonemus carmine:
Grato piorum nam preces
Penetrant odore ſidera.
Ornemus & roſis thorum,
Sacris dicatum gaudijs:
Sunt caſtitas, amor, fides
Apti colores coniugum.
Vobis beato hoc nomine,
Beatioris omine
Adſit Deus, qui mentibus
Ignes pudicos indidit.

PAVLO PAPAE, ET Odiliæ Pflugeræ.

ROSA VERNA.

HOc delicato Cypriæ
De flore ſertum, candida
Textum roſa, dulcis tui eſt
Imago matrimonij.
Breuis uoluptas omnis eſt,
Caduca forma, ætas fugax:
Vt mane decerpta eſt roſa,
Quæ languet ante ueſperam.
Amittit at roſa ut ſuam
Breui iuuentam, eam tamen
Seruat poteſtatem, efficax
Vt ſit medela corpori:
Maritus acer, ſedulus,

Vxor.

Vxor pudica, obediens,
Nullius ægritudinis
Mutant amorem incommodo.
Languentis est gratus rosæ
Adhuc odor: nec desinit
Quamuis malis exercitus
Amor bonorum coniugum.
Iucunditate perpeti
Te Paule, teq; Odilia
Delectet, ut rosæ decus,
Virtus, fides, integritas.

TOBIAE MOSTELIO, ET Elizabethæ Trostiæ.

LILIVM AESTIVVM.

AEstate prima lilium
Pictos quod ornat hortulos,
Iunonia mamma satum,
Candore floret lacteo,
Et halitum iactat procul,
Tum grata delectatio est
Odoris acrimonia.
Aetate firma firmior
Præcordijs amor calet:
Quem non Cupido, non Venus,
Bonis piorum in mentibus:
Sed ipse promouet Deus,
Leuatq;, præter incidit
Spem quidquid æstuosius.

Mostelij

Moſtelij eſt flagrans amor,
Amorq; feruens Troſtiæ,
Fructusq; ſpirantes feret
Et candidos Eccleſiæ:
Cùm grata tædæ pignora
Ambo uidebunt, & Dei
Cultum tenellis inſerent.

IOHANNI HENRICO, ET Vrſulæ Gigantidi.

NARCISSVS AVTVMNALIS.

NOn uſitato cæteris
Narciſſus herbis tempore
Comat, rubente purpura,
Serum nihil, uerum quod eſt
Vſu atq; pulchritudine.
Nec ullus eſt amor ſuo
Qui flore non amabilis,
Cultuq; iucundiſſimus,
Modò à Deo profectus eſt,
Et cum Deo inchoatus eſt.
Ducis Gigantis filiam,
Vatis boni atq; nobilis,
Henrice, quæ mores patris
Mites, pudicos, aureos
In filijs tibi exprimet.
Nempe elocat natam pater,
Dulcemq; mater filium,
Poſt ſe relinquant ut ſacræ

Partum

Partum beatum Ecclesiæ,
Summoq; cultores Deo.
Vt sera tandem secula
Cernant in abnepotibus
Aut in sobrinis, gloriam
Gentis Deiq; crescere,
Cum laude, honore Ecclesiæ.

NICOLAO HANIO ET Euæ Faustæ.

VERATRVM HIEMALE.

CVrat Melampus Prœtidas
Bruto furore percitas,
Plantæ medela nobilis
Brumæ uirentis tempore.
Amor procax, insaniæ est,
Communis ipsis bestijs:
Absumpta quem sanant sacri
Veratra matrimonij.
Tu Nicolae dum fugis
Vitanda, amores improbos,
Vni puellæ dedicas
Aeui integrum florem tui.
Nunc Eua in amplexus tibi
Christo ligante traditur:
Quæ patre Fausto moribus
Imbuta spectatissimis.
Non oscen argutus pauit
Oestrum furens; & liberi

A patre matreq; optima
Raro proterui prodeunt
Nobis modestas filias,
Das Fauste, matres fertiles,
Obtemperantes coniuges,
Fidasq; custodes domus.
Faxit Deus, ne unquam tibi
Nobisq;, uera gaudia
Desint nepotes, qui Deum
Laudent, honorent, inuocent.

IOHANNI MORTICIO ET Veronicæ Medleræ.

MOrticio Veronicam
Viro pio, nuptam piam
Iungis Deus: sis fœderi
Præsens tuo, sis pronubus
Viri pij, nuptæ piæ.
Ecclesia Morticius
Te Sunderhusia docet
Exemplo, & ore, & moribus:
Ecclesia Numburgica,
Veronicæ docuit pater
Fide, grauitate, pectore.
Suis reliquit posteris
Medlerus, id quod linquere
Pijs suetum est: optimum
Nomen, sed haud magnas opes:
Natus reliquit, moribus

Pijs

Pulchras, pudore nobiles,
Integritate diuites:
Viris locatas optimis
Et eruditis, qui ſuum
Socerum ſequuntur, & ſacris
Templis docentes imperant.
Nil regna Cyri, nil Midæ
Montes greges ue Tantali.
" Habere præſentem Deum,
" Dei fauentes Angelos,
Vincit potentum copias,
Domum Neronis aueam.
Panis ſatians, non obruens
Purum ſalinum, fontium
Aquæ ſalubres: Perficis
Cœnis, culullis grandibus
Sunt præferenda diuitum.
Viuas Iohannes cum tua
Vxore felix, in ſacro
Conſtans, fidelis munere.
Medlera uiuas cum tuo
Valens, beata, coniuge:
Sit plena uobis urnula,
Capaxq; guttus, & mero
Aquale abundet Biblino,
Iungat Deus, ſeruet Deus
Viro pio, nuptam piam
Morticio Veronicam.

IACO-

IACOBO PRESCHERO, & Euæ Steniæ.

στοργὴ τῶν συζύγων.

NOn aspis absq; compare
Prorepit ex antro, malum
Inter uenena maximum:
Vt læsa forsan altera
Si sit, secum trahat tamen
Mortis superbam uindicem.
Nunquam relinquit comparem
Illa auspicata nuptijs
Ceruix, uetustis moribus
Cantata cum Thalassio,
Quæ morte functo compare
Seruat pudicum nidulum.
Iacobe te decet bonam
Amare semper coniugem:
Euæq;, sicut proprij
Habere curam corporis,
Cum qua quietum transigas
Alter Philemon seculum.
Teq; Eua par est optimo
Parere submisse uiro,
Tuumq; Iacobum intimis
Semper uereri affectibus,
Longos ut instar Baucidis
Laudata in annos floreas.
Pulchrum est fauore mutuo

» Iunctos teneri coniuges,
Multiplicique tempore
Pari iugari uinculo,
Ab altero nec alterum
Rebus molestis deseri.

FELICI ZIMMERMANO & Sibyllæ Matheſiæ.

τέρψις τῶν φυσάντων.

NOn maior ullus est amor,
Parentum amore: baiulat
Fœtum ursa deformem, suum
Tum glaucus ore deuorat,
Et ore partum reiicit.
Panthera raptorem insequens
Fatigat, & delphin uolens
In rete cum prole insilit.
» Qui non amat suos, feris
» Est bestijs immanior.
Qualis Medea uiscerum
Atrox suorum carnifex.
Romana qualis Pontia
Liuore uincens uiperam:
Quarum à nefandis dexteris
Sol ipse uultum condidit.
Sed monstrat affectum pium
Pater pius, qui filiæ
Piæ maritum destinat
Pium, iubetq; ambos Dei
Nato potentis fidere.

Visu-

Visurus ipse protinus
Stirpem piam, quæ cœlica
Possessione gaudeat.
Felix eo ipso nomine
Tu sponse, cuius in thorum
Sanguis boni Mathesis,
Coniux Sibylla traditur.
Huic uos uicissim iam seni
Amorem, honorem, gaudium
Quibus potestis, uiribus,
Fide, pietate ostendite.
Altoribus nati ualent
Nunquam uices reponere,
Nunquam socero dignas gener
Grates fideli reddere,
Vt ille uitam, ut iste opes
Profundat: at qui muneræ
Agnoscit illorum memor,
Partem bonam iam rettulit.

ADAMO GRYPHIO ET MAriæ Kirchbachiæ.

τοργαὶ τῶν γενομένων.

O Ter beati liberi,
Suos parentes qui colunt,
Et absq; consensu nihil
Audent eorum: qui senes
Fouent, honorant, nutriunt:
Instar palumbi lectulum

Parant, & ut ciconia
Tergoq; & alis sustinent.
O dulce naturæ decus,
Sacrum genus uolucrium.
Fert patrem Agaue, uiribus
Exhaustum, & Aeneas rapit
Suum è Pelasgis ignibus.
Natiq; Cydippen duo
Iugum trahentes deuehunt.
Gryphi patris qui cultor es,
Matrisq; tu Kirchbachia,
Sperate quæ Deus bonis
Promittit, & uestros bene
Rursum educate liberos.
Qui uos amoris mutui
Pari ligauit uinculo,
Vestræ domus & lecticli,
Mensæq; custos fidus est,
Totius & uitæ arbiter.

IOANNI OPORINO, ET Elisabethæ Holdzachiæ.

DEus laboribus bonis
Si uendit, Alcides minor
Felicitate Oporino:
Laboribus si sunt pia,
(Vt sunt) parata præmia,
Debentur ampla Oporino.
Fert uertice urnam Pæonis,

Natum

Natum sinu, colum manu,
Equumq; ducit brachio:
Par una multis fœmina.
At nemo Oporini potest
Magnos labores dicere,
Doctis & elegantibus
Quos ille procudit libris.
Scribit typis, scribit manu,
Emendat arte, & ingeni
Coarctat ampla uiribus,
Et arcta doctus ampliat,
Vndante ditans copia
Graios, Latinos, Barbaros.
Pro tot bonis illi Deus
Donat pudicam coniugem,
Matrem feracem, ut in suis
Superstit ille liberis.
Quàm sæpe quod uiro negat,
Seni rependit Conditor.
Quæ sera uenit gratia,
Venit lucrosa gaudio.
Tu nunc ferêre Elizabeth
Veris mariti laudibus,
Quamuis abundas patrijs:
Hic magnus arte Hippocratis
Ad urbium Rheni decus
Vrbem, parauit gloriam:
Ille orbis omnes per plagas,
Notus celebri nomine,
Clarus labore nobili.

Tali uiro, tali patre
Beata, digna moribus
Viuas patris, uiuas uiri.
Nunc uerba tempus dicere
Nouo ominata lectulo,
Vestris precari quæ pijs
Precanda sunt laboribus.
Quot poma & uuas fertilis
Autumnus hortis, montibus
Effert: tot accidant piæ
Optata uitæ gaudia,
Punctis arantur quot typi,
Libriq; constant litteris:
Tot fructuoso cœlitùs
Dentur labori præmia.
Magnum est periculo suo,
Suis iuuare sumptibus,
Res utiles & arduas.
Dignum uiris est optimis
Nouisse tali gratiam,
Vicem referre debitam.
Qui sentit aut facit secus,
Inscitus est & barbarus.

BARTOLOMAEO LOSANO Iurisconsl. & Magdalenæ Freidingeræ.

NOn casus est fortunaq;
Flagrare honestis ignibus,
Nec est proteruia aut furor

Ambire

Ambire uisam uirginem.
Hæc est patris Dei pia
Laudanda prouidentia,
Qua prospicit, corda ut duo
Degant in uno corpore:
Qua iussit, ut par dispari
Sexu iugale uiueret.
O semper infelix homo,
Qui uitat istam copulam,
Per quam manet nostrum genus,
Per quam replentur sidera.
Iosane claræ uirginis
Te cepit ardor, optimi
Pudica patris filia,
Qui Saxonum sollers dux
Secreta nouit principum,
Vir cognitus prudentia,
Virtute, moribus, fide.
Et tu uiri Freidingera
Docti dicata amplexibus,
Qui patre natus optimo,
Et dignitate, & litteris,
Auget paternam gloriam,
Et fungitur in re publica
Magno disertus munere.
Quicquid parentibus piis,
Quicquit maritis integris,
Optare conuenit, thoro
Vestro opto, uestris gaudijs.
Cœlum benignum, secula

Pacis, fauentem principem,
Opes honestas, liberos
Bonos, senectam floridam,
Rerum affluentem copiam.
Hæc uota fiant ut rata
Te Christe, cuius omnia
Manant potente de manu,
Qui coniugum fautor bonus
Laudare, tu Christe effice.

VVOLFGANGO HAVSmano, & Rosinæ Grauiæ.

Rosina Vuolfgango datur,
Quam quilibet optaret suo
Sponsam pudicam filio:
Quam quælibet optaret suæ
Nurum integram prosapiæ.
Quæ patre Grauio, Vuellera
Quæ matre nata, originis
Felix abundat laudibus.
Siue arma spectes, seu decus
Mentis, uel ingenij bona,
Fortes uiros, claros uiros,
Et sanctitate cognitos,
In gente utraq; repperis.
Pulchrum est, bonis iungi bonos:
Et pulchrius, rectè ingredi
Spectata per uestigia:
Pulcherrimum sed, addere
Laudes parentum laudibus.

Vobis,

Vobis, celebres coniuges,
Opto pietatem, qua Deum
Imis colatis cordibus.
Sic uos sequentur cætera
Optanda: sic uestram domum,
Opes, agros, uitam, thorum,
Nullis mouenda machinis,
Deus potenter fulciet.
Tuo Rosina sic sinu
Ludent pares parentibus
Pudore claræ filiæ:
Volfgange mensam sic tuam
Cingent pares maioribus
Virtute clari filij.

HENRICO SCHIRNERO & Iudithæ Dasipodiæ.

IN nuptijs Bœotijs,
Cadmi potentis regia,
Quondam affuisse cœlites,
Narrant politæ fabulæ:
Et Hippocrenes numina
Lusisse chordis, quo foret
Genus satu mortalium.
Assedit hospes paupere
Casa Canæi, filius
Dei, ministris Angelis,
Primo inclitus miraculo,
Cùm iussit undas nectare
Liquere uini, & hydrias

Mero repleuit saxeas.
Vbique præsens est Deus,
Regum nec aulas deserit,
Nec tecta parua despicit.
Gaudet thoris iugalibus,
Mortale propagat genus,
Et nutrit omne, quidquid est
Apto benignus tempore.
Hunc tu inuoca, hunc tu cole,
Tali fide, taliq; spe
Henrice, nec secus tua est
Affecta sponsa Iudaba.
O par amicorum sacrum,
Iunctum à Deo, placens Deo,
Deiq; pendens numine.
Ite, templa nunc patent,
Aras tenete supplices,
Mentes manusq; iungite,
Promissaq; alto à numine
Bona, & labores, & crucem,
Curæ & leuamen asperæ,
Audite, ferte, credite.
O nos beatos, si Deo
Perstatis usq; fidere,
Is seruat, euehit pios,
Modisq; honorat plurimis.
Tam nemo factus est senex,
Vllis egere commodis
Stirpem pij qui viderit.

PETRO

PETRO BVCHERO, ET Annæ Badhornæ. PATIENTIA.

VItæ decus, morum decus
Est pulchra tollerantia.
Hæc una uirtus efficit
Viros maritum ut fœmina.
Petro Buchero nil deest
Virtutis, ad præstantiam,
Sublime qua nomen uiri.
Est consecutus integri:
Cui tollerans & prouida
Dat mens honores atq; opes.
Dignus Badhorni qui gener,
Et consulis dignissimi
Viriq; præclarissimi.
Quem multa tollerantia
Seruauit oris Italis,
Illicq; maximam solo
Tulit paterno gloriam.
Sit faustus ambobus dies
Tibi Badhorno & filiæ,
Tibi Buchero & coniugi,
Qui corda uestra uinciit
Connubiali uinculo,
Hæc sospitet uobis Deus
Non finienda gaudia.

CHARITAS.

Sincera non est charitas
Amare quando desinit,

Quam

Quantumq; ab hac recesseris,
Tantùm recedis à Deo:
Qui charitatem cordibus
Patrum, maritorum inserit.
Decus parentis optimæ,
Pulcherrimæq; fœminæ,
Castissimæq; coniugis
Annæ, Anna digna filia:
Cui Rotha amus, Badhornus est
Pater, Bucherus sponsus est.
Si matris exemplum piæ
Sequêris, & clari patris,
Sponsiq; bonorati uiri
Te nulla amari dignior,
Te nulla fortunatior.
Sit ista lux felix tibi,
Tuoq; sponso, quæ seni
Luxit patri optatissima
Vt ille de thoro tuo
Cernens nepotes gestiet
Cernat quod ut feliciter,
Parens Deus rerum effice.

POEMATVM G. FABRICII
TOMI PRIMI FINIS.